



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

Disputatio III. De Dei Attributis vniuersim siue in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

5 Atque hic sanè planus est Damasceni sensus, ut ex dictis, atque ex contextu patet, in quibus etiam continetur ratio perspicua (quæ nostro Vasquio non occurrebat. cap. 6. num. 20.) singularis eius contra datos alios Patres locutionis Damasceni. An verò suam hanc doctrinam ritè, rectèque ex loco illo Pauli Damasceni confirmet? Negat Vasq. ibi, multaque eruditione ostendit, neque in Græco, neque in Hebræo textu legi Paternitatem, seu nomen illam significans, sed Græcè. *Πατριάς*, quod familiam significat. Psalm. 21. *Adorabunt eum omnes familia gentium*. Habetur, non *πατριάς*. Quod respondet nomini Paternitas, quòque in suo textu vitur Damascenus. Hebraicè verò habetur. *Μισθολογία*. Quod 70. *πατριάς*, id est, familie vererunt. Standum nobis vulgata editioni eius loci est, cui Damascen. peritissimus, & Hieronymus citandus concordant: rectèque inde suam doctrinam à Damasceno confirmatam, est omnino sentiendum. Maximè, cum ipse Vasq. erudite ostendat, etiam ibidem, *Nominatur*. Bis in eo loco positum, idè valere Scripturæ phrasin, quod *Est*, ac nominari idè, quod esse scilicet ad Philip. 1. *In nomine Iesu omne genua flectantur*. Atq; iterum, *Super omne nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro*. Eamque ait illius loci interpretationem esse Græcorum omnium Patrum. Chrysof. hom. 7. Theophylacti, Theodoret, Occumenij ad eum locum, Hieronymi. tit. 6. in magnis commentariis. Ex Patre enim, cuius præcellens paternitas est, fecunditas, & generatio in cælis, & in terris est: nam & sua in cælis ex Patre est, & in terris fecunditas, & generatio omnium ex ipso est, tanquam causa principali, unde, & inde utrobique nominatur, licet non tempore, dignitate tamen, & prioritate excellentiæ generationis diuinæ.

6 Ultimo de prædicatis, quæ Deo extrinsecis, siue ab extrinseca forma proueniunt ut Agere, Creare, & similia, licet aliquid Deo intrinsecum (de quo solum hic disputatur) non sint, oportune tamen intrinsecorum occasione, statuen dum hic erit. Et quidem Augustinus, neque hæc vniuocè de Deo, & Creaturis dici videtur iudicasse; ac proinde neque in eis dari de Deo, & Creaturis conceptum communem s. de Trinit. cap. 8. vbi cum plura prædicamenta translatiue solum de Deo prædicari docuisset subdit: *Quod autem ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissimè dicitur, solus enim Deus facit, & ipse non fit, neque patitur*. Verum, neque Augustinus firmiter id docet, sed dubitanter, fortassis, adiuncto: neque ea particula *verissimè*, cætera agentia creata à veritate, & proprietate agendi reiecit; sed solum à veritate agendi solum: nam reliqua, ita agunt, ut patiantur, ac fiant. Insuper; cum antea reliqua prædicamenta, ac prædicata creaturarum translatiue, & nõ verè de Deo dici ostendisset; dicens his verbis solum actionem verè dici de Deo, qui Agens, non Patiens est, censet actionem puram, quæ de creatis propriè, ac verè prædicatur, verè, ac propriè de Deo prædicari: ac verissimè, quia purissimè Agens est, sine passione. Itaque hæc, & similia extrinseca, siue ab extrinseca forma, & entitate Deo obuenientia prædicata vniuocè ei cum creaturis conuenire tenendum, ob Augustini auctoritatem est: & quia in his vnica ratio, quæ à Diuinis intrinsecis Deo prædicatis, vniuocationem cum similibus creatis excludit, locum in extrinsecis non habet: quare cuiusmodi prædicatis Dei, & creaturarum communis ratio dari optimè potest. Neque tamen illic inferas Deam in prædicamento ponendum: cum enim extrinseca Deo prædicata sint, ex eo, quod ipsa in prædicamento ponantur, perperam in eo ponendus inferatur Deus, ut patet.



DISPUTATIO III.

De Dei Attributis vniuersim, siue in communi.

DIXIMVS, controuersia præfatione, in Deo Essentiam, & Attributa dari: atque cursum ex Attributis plerique, in cæterorum exemplum, nominauimus, ac post modum ea esse attributa diuina diximus,

quæ Essentiam Dei metaphysicam prædicata consequuntur: quare lata significatione, quæ omnia prædicata, quòque modo Essentiam Dei constitutam consequentia, comprehendat, inter Attributa Dei extrinsecis aduenientia prædicata, quæ Deo ex actionibus suis extrinsecis obueniunt, numerabuntur. De his autem extrinsecis prædicatis Dei, disputatio præfens de Dei Attributis, neque apud nos, neque apud Theologos procedit, sed solum de prædicatis, quæ Dei Essentia, qua metaphysicè sequuntur, physice identificantur, ac proinde siue verè prædicata, & Attributa diuina: quæ scilicet, cum diuina formalitates sint Deo essentialiter metaphysicè iam constituto, ipsum metaphysicè afficere concipiuntur, de eoque verè prædicantur. Sed strictius adhuc in hac disputatione Attributa diuina à Theologis viturpantur, quatenus contingentia prædicata diuina (de quibus de Scientia, & Voluntate Dei disputatur profuse) secludit, solaque prædicata diuina necessaria cohercet: & ne de his quidem, in latitudine sua tota; cum enim prædicata diuina personalia necessaria etiam Deo sint, ac de eis, dum de mysterio Trinitatis agitur, per otium (ut porè propria sede) agatur, ea etiam ab hac disputatione merito relegantur. Solum ergo hic disputabitur de prædicatis necessariis, seu Attributis diuinis, quatenus solum prædicata necessaria Essentiam metaphysicam Dei indiuiduè metaphysicè, vbiuis personarum consequentia, ac tribus Personis communia cohercet: quæ proinde essentia metaphysicè proprietates iure dicuntur.

2 Sed enim, licet cuiusmodi Attributa, & proprietates Essentia metaphysicæ Dei suppositurimus esse atque communiter Theologi supponant, nescio an eorum aliquibus in consequentiam doctrinæ alterius suæ, præfata afferat suppositio: quare, ut debita consequentia in hac materia procedamus, doctrinæ, quæ huic communi Theologorum sententiæ aduersatur, reicienda in primis erunt, ut cuiusmodi proprietates metaphysicæ, siue Attributa diuina firma persistant: quare de cuiusmodi Attributorum existentia in primis disceptandum erit, quoad questionem. An sine spectat: quam bipartita statuemus, ut duplicem opinionem, quæ eorum existentiam euertit, eaque è medio porus tollit, ablegemus, in qua ap ex parte obieci, tam inter se, tum ab essentia mutuo, aut non mutuo se formaliter, vel includant, vel excludant? Secundo, quod sint Attributa, eorumque varias diuisiones recensebimus. Tertio an inter se, non solum per intellectus nostri præcisionem metaphysicè distinguantur (ut quest. 1. ostensum manebit) sed etiam an ante illam, vel realiter formaliter ex natura rei: Quarto, an saltem realiter virtualiter differant? Quinto, an ratio Entis, Boni, Veri, aliudve Attributum omnia Attributa, & Essentiam transcendat? ac proinde an ea Attributorum diuisio vulgaris in transcendentia, & non transcendentia recta sit?



QUESTIO I.

An in Deo Attributa, seu proprietates metaphysicæ sint

RES hæc supponebatur, quam disputabatur ab Scholasticis ferè omnibus; cum tamen ab eorum pluribus, præcipue non admodum antiquis, negari omnino consequentia causa deberet, ut statim videbimus.

CERTAMEN I.

Vera sententia, de iectis eius aduersariis occultis eligitur.

AD DEO ARRIANI (ut viuimus. contr. de Trinit. d. 8. quest. 3. cert. 1. numer. 1.) agere distinctionem

tionem omnem rationis ratiocinatæ ex parte obiecti in diuinis prædicatis ferebant, vt eam infra mortuos amandaram cuperent, quo facilius Doctores Catholicos in Filij diuini Consubstantialitate, vixarent: ac proinde neq; illam in diuinis Attributis, & Essentia, ex quo facilius in Essentia, & personalitatibus admitteretur, audire volebant. Præpositus verò Catholicus Doctor, non ex prauo illo, & hæretico animo, & sine, inter Essentiam, & personalitates negabat eiusmodi distinctionem, sed quia ex diuina Simplicitate idem omnino ex parte obiecti, abstracto nomine Paternitatis, ac Filiationis, atque eorum concretis, Pater, & Filius significari censebat, teste Altiliodorcenti apud Maiorem, & ibidem citatis. Ex eo verò principio, idem de Iustitia, & Iusto, Immenitate, Eternitate, Infinitate, & eorum concretis videtur sensisse; licet de memoratis solum (quia Theologia dissonantioribus) mentio ab his authoribus fiat. Pro eadem Præpositi sententia referuntur, vt ibidem vidimus, Gregor. & Gabr. non multa referentium fide. Itaque ex Doctores Theologos, nemo palam distinctionem Attributorum ab Essentia formalem, ex parte obiecti negauit in terminis, præter innominatos aliquot Nominales apud Nostrum Bezan. 1. p. sum. tract. 1. quæst. 2. num. 1. quare neque dari Attributa Dei Essentiam consequentia, quæ in Deo, nisi ea distinctione interueniente, esse minime possunt, videntur admittere.

2. Occulte tamen, & elanculum, atque inconsequenter, ex his, qui Deo Essentiam, & Attributa metaphysica concedunt, eadem ipsi quam plures Scolastici, alia, & alia via negant. Cum enim sine distinctione formali, & obiectiua essentia metaphysicæ, à metaphysicis eius proprietatibus, seu prædicatis metaphysicis, ac necessario eam consequentibus, neque hæc, proprietates ipsam consequentes magis esse possint, quam ipsa sui ipsius metaphysica proprietates, seu attributum esse queat, fit plane eos omnes Doctores, qui eiusmodi inter Essentiam, & Attributa obiectiuam formalem distinctionem in Deo negant, in eo etiam Attributa diuina negare (vt citato loco notauimus, & quæst. 4. in simili ostendi) necessariò certissimum est. Neque enim distinctio necessaria, vt Essentia præcedat, & Attributa sequantur in diuinis illis est, sed solum in nostris de eodem omnino subiecto cognitionibus, in horum sententia, vt pater, & fatentur. Sunt autem Theologi qui eam distinctionem inter Essentiam, & Attributa Dei negant, ac consequenter Deo Attributa absolutè negare debent, in duplici Schola, duplici principio, & fundamento innixi. Primi sunt, quotquot Scholam Nominalium secuti hæcenus sunt, & formalitates ex parte obiecti in re physice eadem, nostris cognitionibus præcindi posse negant: hi verò referuntur, Okam in 1. d. 2. q. 2. Gab. q. 1. a. 2. Greg. d. 8. q. 2. art. 1. Maior. q. 1. Aliacen. q. 6. art. 2. Maior. q. 2. art. 1. Aureolus q. 3. a. 2. Andr. de Caltronouo. d. 32. q. 2.

3. Cæterum citatos Doctores in re præsentis, non certa fide referri, vel inde mihi perspicuum est: quòd Essentiam, cum à personalitatibus, tum ab Attributis diuinis ex natura rei formaliter, iuxta Scoticum suam Scholam diuidant, vt videbimus quæst. 4. per rotam, quod plus est, quam per rationem solum ex parte obiecti disseccare: imò non possunt simul ea ex parte obiecti diuisum, ac præcisa fieri. Licet ergo ea Nominalium prædictorum doctrina rei eiusdem nullum esse prædicatum, quod ex parte obiecti, adhuc per rationem nostram ab alio, rei eiusdem diuisum, imò neque præcindibile esse ferat: quare rotam esse vocem solum (vt antiquitus ex ipsis referebatur) vel nostrorum potius, circa rem eandem conceptum: (vt Petrus Hurtado, & sequaces nuperi eos interpretantur.) diuersitatem de re eadem, de prædicatis formaliter realiter, & formaliter etiam ex natura rei, eiusdem, antiqui Nominales intelligendi sunt: cumque diuina prædicata, tum personalia, tum attributalia, licet rei eiusdem realiter formaliter, ex natura rei formaliter ab Essentia diuidant, vt contradictoria vident, quæ sonare in prædicatis diuinis videbantur pro sententia præsentis indistinctionis obiectiuæ eorum ab Essentia, immeritò re-
conferuntur.

4. Solum ergo pro ea referri nouiores sæculi nostri Nominales iure possunt, quia eam etiam distinctionem formalem ex natura rei inter Essentiam, & personalia, atq; Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus I.

attributalia prædicata abouentes, prædicata rei eiusdem realiter formaliter identificata præcindi, ex parte obiecti negant. Hi verò sunt Petrus Hurtado d. 6. Met. sect. 4. qui, & sententiam, & argumentum Nominalium eo robore suscitauit, vt Arriagam, Ouidio, ac ferè omnes Recentiores ad se traxerit. Arriagam d. 5. log. sect. 2. & tit. 1. p. d. 9. sect. 1. qui tamen in his, quæ virtualiter in diuinis distinguuntur, vt Relationes, & Essentia, præcisiones admittit. Ouidio, contr. 4. Met. p. 8. atque in creatis expressè, Franciscus Alfonso, tract. 1. Log. d. 4. sect. 2. argumento contradictoriarum; quòd idem, & in diuinis probat. Pro eadem sententia merito numerantur Magister in. 1. d. 8. Commentator Boëtij in. 1. de Trinit. afferentes diuina cuncta solo nomine distingui, & qui apud Niphum. 12. Met. d. 13. cap. 3. aiunt diuina nomina omnia synonyma esse, ac proinde tam ipsa, quam conceptus, quibus substituunt, idem omnino obiectum, ac significatum habere: quin aliud ab alio distinctum, aut præcimum formaliter significent. Hanc verò Nominalium veterum, & Recentiorum sententiam pessimè semper odi: atque ex philosophicis principiis, pro virili impugnaui in logicis, & metaphysicis controuersis; vbi arguenti vni de contradictoriis pro sua sententia fallaciam detexi, roburque eneraui: quare eius solutionem hic ex instituto non reperam: licet Theologicis argumentis, huius loci propriis, iterum contra eos in præcinarum præcisiones obiectiuas euincam: quia aliter existentia Attributorum, & proprietatum metaphysicarum Essentia metaphysicæ Dei, de qua nunc disputamus, stare non potest.

5. Alunde verò Doctores plures, qui præcisiones obiectiuas in prædicatis rei physice eiusdem intrinsecis, & identificatis realiter, ac proinde in diuinis etiam, admittunt, Attributa metaphysica Essentia metaphysicæ Dei, quæ verbis admittere videntur prorsus à Deo relegant, & explodunt: docentes Essentiam metaphysicam Dei, in eius metaphysicis Attributis, atque hæc in illa mutuo, ac vicissim formaliter, & essentialiter includi: hi verò sunt Soares omnes ex suo Antesignano Soario. 1. p. lib. 1. de Essentia Dei à cap. 11. vique ad 13. quare miror cum pro opposita sententia non inclusionis mutæ ab aliquibus referri. Ita verò hanc sententiam tandem defendit, vt in Nominalium sententiam videatur reuolueri, suam præcindentium ex parte obiecti sententia relicta. cap. 13. num. 8. vt legenti parebit, atque inferius ostendemus, ostendimusque citato loco de Trinit. ac proinde cum eis tandem erit impugnandus. Probat multa Patrum testimonia recitans, quæ dedimus. d. 2. quæst. 1. & quæst. 3. quæ sunt, vt vidimus, de sola physica, & reali identitate Essentia, & Attributorum. Pluribus item S. Th. allegationibus; cum tamen non alio, quam præfatorum Patrum sensu loquatur, vt ex ipsis locis patet, atque ex opposita sententia, quam expressè tueretur, locis statim citandis.

6. Nostra ergo verior, communiórque sententia docet, vera diuina Attributa esse in Deo, quæ metaphysicam Dei Essentiam inuicè vbique consequuntur, ac proinde eius proprietates metaphysicæ sunt omnino ex parte obiecti formalitatis præcise ab Essentia, atque eam consequentes; quin, vel illæ in hæc, vel hæc in illis formaliter, aut essentialiter metaphysicè claudantur. Ita S. Th. 1. p. quæst. 13. art. 4. quæst. 14. art. 14. quæst. 24. art. 2. quæst. 29. art. 1. & 2. Vbi eius Interpreteres. Caiet. Molina. Canar. Valquez Arrub. consenserunt, Capcol. in. 1. d. 8. & Thomista veteriores omnes. Durand. d. 2. quæst. 3. Granad. 1. p. contr. 1. tract. 2. d. 6. contr. 5. tract. 3. d. 3. & 4. Escob. quæst. 4. art. 2. dub. 14. Tanner. d. 2. quæst. 2. dub. 3. d. 4. quæst. 3. dub. 2. Ruiz. d. 8. de Scientia & d. 12. de Trinit. apud quos plures alij ex recentioribus qui omnes Attributa ab Essentia per rationem nostram distinctione rationis ratiocinatæ distingui, ipsamque indiuiduè sequi metaphysicè docent: quod satis erat, vt Soares & alij eos, præsertim S. Thom. de distinctione formali ex parte nostrorum actuum omnino se tenentem non interpretarentur: cum hi omnes distinctionem rationis ratiocinatæ, prædicatum rei ex parte obiecti semper intelligant, per nostri intellectus præcisionem obiectiuam. Totum ergo præsentis quæstionis, & sententia nostre negotium & cõta vtrâque Scholam, & viam nobis aduersam, præcisiones

ORTEGA
In d. pari
D. VIIa

præcisiones obiectiuas diuinorum prædicatorum essentia-
lium, & attributiuam sine vlla confusione, aut inclusio-
ne mutua, ex parte obiecti formalis, siue conceptus ob-
iectiuus vniuersitatis eorum monstrare, vt Attributione Deo
adesse monstremus.

CERTAMEN II.

*Præcisiones obiectiuæ inter Essentiam, &
Attributa, ex earum in mysterio
Trinitatis necessitate, monstrantur.*

Probatur primò: Dantur in Deo præcisiones obiectiuæ formalitatum, seu conceptuum obiectiuorum inconfusorum, nec se mutuo includentium, Essentia metaphysica Dei, & prædicatorum personalium: ergo & attributiuam. Consequentiam contra veteres, ac recentes Nominales est legitima: cum æquè in vtrisque eorum argumentum, & fundamentum contradictorium de re verè & realiter, atque ex natura rei eadem, vel ruat, vel consistat: ac proinde (si ex nouis Nominalibus, Ariagam excipias) reliqui consequentiam admittunt. Antecedens generatim probari satis poterat. Primò ex dictis omnibus controuersis Logicis, & Metaphysicis pro dandis vniuersim obiectiuis præcisionibus rerum omnium prædicatis physicè, & realiter identificatis. Secundò specialiter ex dictis, contr. 8. de Trinit. quæst. 4. sed nunc specialiter probatur argumentis, quæ ibi cert. 2. num. 2. & quæst. 3. cert. 2. num. 1. & 2. nunc autem, quia longius ea persequi Receritum Murcianorum exemplo, vtilius fore didici, suis persequar; quia, si non datur præcisio obiectiuæ facta per cognitionem in Trinitate: ergo nec facta per vocum significationem, quæ idem omnino quod cognitionem, quibus substituantur significant, & in vocibus æquè, atque conceptibus currit contradictorium argumentum. Imò Nominales ex hoc tales dicti sunt. Pergo, ergo hæc duæ propositiones. *Pater distinguitur à Filio, Essentia distinguitur à Filio.* Idem omnino significant, & prædicant de eodem: nempe de indiuisibili, ex parte obiecti etiam entitate Patris; quæ rota, siue voce, siue conceptu Essentia, vel Patris significatur: ergo vtræque propositio vera est, vel vtræque falsa.

2. Pater: quia quoties duæ propositiones formales, siue mentales, siue vocales, idem prorsus ex parte obiecti significant, vel eandem habent propositionem obiectiuam, siue eam hoc, vel illo iudicio, aut voce representent, ac significant, nequeunt non eadem, vel omnes conformari, vel disconformari: eatenus enim veræ, & conformes, vel secus, propositiones sunt, quatenus obiectum representantur, vel significatum per illas, ita est, aut non est, sicut esse asseritur: idem autem obiectum omnino nequit esse conforme, aut non conformis sibi, vt in se est: quare vocum, vel conceptuum nostrorum veritas, obiectiuam propositionem non immutans, sed eandem relinquens, veritatem, aut falsitatem propositionis immutare non potest: vt patet in his. *Hic gladius est lucidus: vel, hic ensis est lucidus.* Ergo cū idè, ex parte obiecti etiam subiectum significet in non prædicentium obiecti-
quæ sententia, propositio vtræque, vel falsa erit, vel vtræque vera, vt inferebamus: at qui ex Fide prima est vera, & certa propositio; secunda est falsa, & hæretica: ergo aliquid ex parte obiecti consistit, cum concipimus Patrem, quod non concipimus cum Essentiam concipimus: ac proinde concipimus Essentiam præcisè, non concepta Paternitate, seu Patris personalitate, atque ita eis vocibus significamus: idque fatari debemus ne in Fidem peccemus, atque in hæresim impingamus. Similia plura absurda deduci possunt: *Filius producit, Essentia producit: Essentia communicatur, Paternitas communicatur. Deus est Trinitas, Pater est Trinitas, vel Filius, aut Spiritus est Trinitas.* Sexcentaque alia propositionum binaria, quorum quodvis alteram de Fide veram, alterum de Fide falsam, & hæreticam contineat: cum tamen in non prædicentium obiectiuis sententiis, vtræque simul vera, vel falsa, eodem argumento conuincatur.

3. Inde verò videant non prædicentes obiectiuè in hoc mysterio, sed idem omnino ex parte obiecti, quovis rei eisdem conceptu representari, idemque quavis voce ei respondente significari assentes, quor alia, quantaque inferantur absurda. Primò enim qui audit hæreticum affirmantem. *Essentia distinguitur à Filio.* Aque poterit assentiri, atque Catholico assenti, *Pater distinguitur à Filio*, vel, si huic dissentiri potest salua Fide, & poterit dissentiri primæ salua Fide, integrumque vnicuique eij affirmare primam, sicut secundam, vel negare secundam, sicut primam: imò ad ea cogitur: quare nemo poterit veritates mysteriorum Trinitatis, & incarnationis fatari, quin hæreses etiam in illis fatari cogatur: cum idem prædicatum de eodem etiam obiectiuo subiecto prædicetur in vtraque. Item, cum eodem obiectiuæ propositioni nequeat quis assentiri, & dissentiri simul, nulla esse poterit obligatio ex Fide dissentendi primæ, & assentiendi secundæ: cum nemo ad impossibile teneatur, cuiusmodi est assentiri simul duobus obiectis contradictoriis; Tertio cum nequeat ex Fide assentiri obiecto primæ, nec poterit assentiri obiecto secundæ, quod idem obiectiuè in non prædicentium sententia est. Ratio autem harum omnium illationum est: quia de vno, eodemque conceptu obiectiuo ex parte subiecti conceptu, & apprehensio duo prædicata contradictoria distincte concepta simul enuntiare non possumus: quia nec possumus assentiri, & dissentiri simul eodem obiectiuæ propositioni: neque idem prædicatum de omnino eodem subiecto, affirmare simul, & negare, ni amentia veret.

4. Dices Primò: hæc eadem argumenta æquè militare contra communem satis, mutua inclusionem Essentia, & reliquorum prædicatorum, quam retulimus, cert. 1. fateor, ac proinde eam reicio, sicut hanc: neutram enim defectu communitatis, sed solutionis adeo grauib argumentis reicio; Dices Secundò: Mysteria Fidei à præcisionibus obiectiuis non pendere, realia enim, ac reuera sunt. Neque id nego; sed solum neque à nobis intelligi, credi-
ve, vt ab Ecclesia proponitur siue eis præcisionibus posse: quod factis argumentis ostendo; Dices Tertio: etiam prædicentibus Catholicis, communes esse artatas difficultates: quare mysterij, non harum opinionum, difficultates esse: cum certum sit, atque inuitabile, Patrem non distingui realiter ab Essentia; & tamen distingui realiter à Filio, in sensu materiali, & identico tangi Essentiam ex parte obiecti, ac de illa eandem propositionem verificari: & contra, cum dicitur, Essentia non distingui à Filio realiter, Paternitatem in sensu identico tangi: ac proinde in eodem sensu negari non posse, Paternitatem non distingui à Filiatione, siue esse Filiationem si in hoc mysterio, licet, sicut increatis, philosophari: nam in sensu materiali, & identico verum est animal, quod materialiter tangitur, & cognoscitur, cum concipitur rationale, esse principium dicendi. Verum supponitur falsum quod scilicet, cum Paternitas dicitur, etiam materialiter tangatur Essentia, & contra: & idem est de rationali cum animali, cum rationale concipitur. Id enim est supponere non dari præcisiones obiectiuas, ex qua suppositione inferitur, quod in sensu materiali, & identico inferri aium, & est omnino absurdum, & contra Fidem, adhuc in eo sensu; secus autem in prædicentibus obiectiuè, qui, ne materialiter quidem, tangi nomine, & conceptu Paternitatis Essentiam, aut Essentia nomine Paternitatem defendunt.

5. Sed instabis, Synchegoremate realiter adiuncto eis propositionibus, non posse non statum realitatis Paternitatis attingi: ac proinde identitatis cum Essentia, quam in illo habet: cum non, nisi eo statu possit distingui realiter à Filio, seu Filiatione: & tunc eadem inferuntur absurda; quare ex præcisione, vel non præcisione obiectiuæ non prouenire. Sed tamen, cum Paternitas præcisè cognoscitur ex parte subiecti, non cognoscitur status realitatis cum Essentia: Nam realiter, illud cadit supra distinctionem à Filio; ac proinde neque Essentia identitas cum Paternitate, neque ipsa Essentia cogitatur ex parte subiecti: sicuti neque, cum negatur Essentia distinctio, seu affirmatur identitas cum Filiatione: quare neque materialiter tangitur tunc Paternitas, cum Essentia ex parte subiecti concipitur, vt idem cum Filio, siue ab eo indistinctio affirmatur, sed ex parte prædicati cum Filio identitas realis.

is. Quod autem distinctio realis Paternitatis à Filiatione sine statu realitatis, ac proinde identitatis cum Essentia, esse non possit, probabit quidem rationem, cur vera ea propositio sit, & verificetur prædicatum distinctio realis de Paternitate, quæ subiectum est, non autem Paternitatem ex parte subiecti representantem cum illo statu realitatis, & identitatis.

6 Verbis. Ponatur syncategorema realiter ex parte etiam subiecti: Paternitas autem realiter distinguitur realiter à Filiatione, vt de Fide etiam est; & tamen de Fide etiam est Essentiam realiter sumptam, non distinguitur realiter à Filiatione vbi necessarii nostra argumenta recurrunt. Negatur tamen recurrere: Nam status realitatis Essentia tribus Personis realiter communis triplex est, pro triplici eius identitate reali cum illis, ac proinde respectu Filij nequit dici distincta realiter, seu non eadem realiter cum illo: cum habeat cum illo identitatem, & indistinctiorem realem, quam determinatè significari ex parte subiecti, facit prædicatum personale Filij, seu Filiationis, ac non statum identitatis cum alia Persona; iuxta dicta controuersi. vlt. de Trinitate, & controuersi. vlt. de Incarnat. d. de communicat. idiomat. Adhuc dices apud Beatos, & Deum, veram esse alteram eorum propositionum. *Paternitas distinguitur à Filio, & alteram. Essentia non distinguitur à Filio.* esse fallam, vbi præcipientibus locus non est: ergo non pendet veritas vniuers, & falsitas alterius à præcisionibus obiectiuis. Respondetur in mea sententia, visione posse vnum prædicatum verum rei, sine alio secum identitico videri, vt supra ostendi controuersi. de Trinit. & Incarnat. id quod nuper factis argumentis non leuiter confirmatur, si admitteris eodem modo, & terminis eas veritates mysterij huius Deo, ac Beatis proponi, vt supponit instantia aduersariorum. In sententia vero negante, præcisionem visioni obiecti, eæ veritates non eo modo, neque eisdem terminis Beatis, ac Deo proponi dicendum est, sed modo superiori, quem in hac via non capimus, licet nostro modulo cognoscendi se accommodatis Deus, ita nobis eas veritates reuelauerit, longe aliter, quam ipse illas videt, & cognoscit.

7 Instantis contra nos relictis respondebis, in hac propositione, *Natura, seu Essentia est Filiatio.* (& idem est de similibus) Paternitatem etiam æque immediatè ex parte subiecti attingi, ratione autem virtualis distinctionis huius à natura fugere rationem subiecti in ea prædicatione. Non dubito, ratione virtualis distinctionis, ita Paternitatem à ratione subiecti eius propositionis separari, quia inter eam, & Naturam, pluriquam obiectiuam præcisionem ponit, ex qua, & hæc necessariò inferatur; sed posito, quod hæc non inferat virtualis distinctio (vt non præcipientes volumus fieri, imò, ne cogitari quidem possit, quod de integro conceptu obiectiuo apprehensio æque, & directè ex parte subiecti non prædicetur prædicatum (æquum de omnino eodem, & insensibili ex parte obiecti) cuiusmodi sunt Essentia, & Paternitas in non præcipientibus. Primo: quia prædicatum afficit totum, quod directè concipitur ex parte subiecti, & cum quo in recto concordat; Rursus, si potest prædicatum cadere in parte recti, quod concipitur ex parte subiecti, & non in alteram partem, & si non sit maior ratio vniuers, quam alterius, adhuc ab affirmante ipso fieri nequit, de quam obiecti parte affirmet prædicatum. Secundo rogo: cum ita responderetur, præcinditur Natura à Paternitate: vel secus? si primum; dat manus solutioni, & fatetur, quod negat: si Secundum de eodem omnino obiecto indiuiso, atque indiuisibili affirmat esse subiectum, & non esse subiectum prædicati, & iudicij eiusdem. Tertio: cum idem sit omnino subiectum, & obiectum huius. *Pater, seu Paternitas, est Filiatio,* atque illius: *Natura est Filiatio,* atque eadem distinctio virtualis Paternitatis à Natura eadem, refugiet Paternitas esse subiectum prædicati illius, cum ponitur Paternitatis nomen ex parte subiecti æque, atque cum ponitur Naturæ nomen: Ac proinde prima æque vera, atque de Fide erit, ac secunda; & cui liceat assentiri: quod est hæreticum. Oportet ergo fateri voce, conceptuque Patris aliquid amplius ex parte obiecti significari, & cognosci, quam voce Naturæ, ac proinde hac voce, & conceptu præcindi aliquid Patris, voce autem, & conceptu Paternitatis si-

gnificari, & concipi aliquid omnino ex parte obiecti diuersum, vt veritates mysterij huius Catholicè concipiamus, & fateamur.

8 Hæc sunt, quæ Petrus Hurtado tentauit, effugias quibus tuto fugere non iudicauit Ouiedo, ac proinde controuersi. 4. metaph. citata, punct. 8. an. 49. alia tentauit. Primum: quia, licet sit idem omnino obiectum, & significatum ex parte subiecti, eademque proflus obiectiuam propositio, tamen de eo per diuersa media cognitio loquimur, ac si ex parte obiecti esset subiectum diuersum, sed non capio diuersa hæc media, cum vnicum vtriusque propositionis medium diuina reuelatio sit. Secundo: nec per diuersa media eidem omnino propositioni obiectiuæ assentiri, & dissentiri possumus simul, vt supra dicebamus, magis quam ad duplicis contradictorij simultaneum assensum venire. Tertio: media diuersa Doctoribus aduersæ sententiæ solum inferunt, locò connotatorum diuersorum in ordine, ad quæ tota res, seu obiectum modo cognosci, modo non cognosci diceretur: quod in re præsentis (præterquam quod neque alibi) locum non habet: quia totam entitatem Patris respectiuè etiam ad quodvis medium, communicari Filio, nisi hæreticè dici nequit. Denique, quod diuersus cognoscendi, & significandi modus de eodem omnino obiecto etiam obiectiuè idem præter nobis, quod diuersitas obiectiuæ falsissimum esse, facta hætenus argumenta conuincunt: quare ea solutione eis satis fieri non potest.

9 Responderet Secundo. Aliud esse in propositionibus verificationis, Aliud prædicationis subiectum, vt patet in hac: *Aliquis homo currit.* Currente Petro, qui solus verificationis subiectum est. Cum tamen prædicationis subiectum distinctiuè, omnia indiuidua hominis sint: ita inquit, subiectum prædicationis in hac: *Natura communicatur.* (& idem est de alijs) totam Patris entitatem esse, verificationis autem solam Naturam: sed in primis cum propositio est de subiecto singulari, & determinato, vt in hac, *Natura communicatur,* & similibus, implicat esse prædicationis, ac non verificationis subiectum; Si ergo tota Patris entitas indiuidua, ac determinata ponitur ex parte subiecti, de tota non solum prædicari, sed & verificari prædicatum necesse erit: ac proinde, vel propositio est falsa, vel de tota entitate Patris verificabitur; quorum quodvis hæreticum erit. Secundo: cum ait Naturam solum esse verificationis subiectum, vel præcindit eam à Paternitate, vel secus. Si Primum; nil aliud contendimus; si Secundum: ergo tota Patris entitas est verificationis subiectum. Ac proinde, & verè de tota dicitur communicari, quod est erroneum: & asseret verificari, ac non verificari simul de tota entitate Patris, seu de Paternitate, quod est formale contradictorium assertionis.

10 Neque valet huius prædicati, *verificatur,* seu *verificationis* prædicata subiectum prædicationis esse totam Patris entitatem, rationem verificationis verò solam Naturam. Nam & redeunt impugnationes factæ, quousque in processum infinitum solutio abeat. Secundo: quidquid sit de ratione verificandi, siue subiecto verificationis directæ, vel reflexæ; nequit non erroneum esse asserere de tota Patris entitate verificari, quod communicatur, vt patet: id quod ostendo sic, & rursus solutionem præcipuam simul impugno. Qui exteius assereret totam entitatem Patris communicari, quantumuis assereret de sola Natura verificari, & ratione illius de entitate tota, vt hæreticus ex prior dubio procul damnaretur: ergo, qui interne iudicat, totam entitatem Patris communicari, quantumuis iudicet de sola Natura verificari, & ratione illius de tota entitate Patris, hæresim intertè damnandus est. Atqui ex parte subiecti totam entitatem indiuisim, & insensibiliter ponunt in hac propositione: *Natura, vel Essentia communicatur,* & iudicant de tota entitate Patris communicari, ergo licet iudicent naturam esse verificationis subiectum, & ratione cuius de tota illa insensibili entitate verificatur, hæresim incurunt internam. Denique vt arguebam contra Petrum Hurtado, numer. 7. eadem solutione poteris (imò teneris defendere hæc propositionem esse veram. *Paternitas communicatur.* Cum idem ex parte subiecti; atque in illa concipiatur, ac proinde Natura, que est subiectum verificationis, & ratio cur de tota entitate verificetur præ-

ORTEGA
In J. Paci
D. V. Ia

dicatum, apprehendatur; vel, si hæc falsa sit, falsa etiam erit prima, utrumvis autem non nisi hereticè asseritur.

11 Tandem respondet Ouiedo. Prædicata de subiectis formaliter sumptis verificari solum debere, non solum, ut cognitis ex parte obiecti, sed etiam formaliter ex parte actus; hæc autem formalitate actus non esse idem Paternitatem, seu Patrem, ac Naturam. Sed contra Primò, quia prædicata realia, & vera (cuiusmodi sunt memorata) non conueniunt subiectis formaliter, ut cognitis, sed secundum se obiectiue sumptis: alioqui cessante cognitione illis non competere: quod falsum, & proprium entium rationis est: imò verò, ideo vere affirmantur, vel falso, quia rebus in se, atque independentes à nostris cognitionibus competunt, vel non competunt; licet in re non eis comperant, ut in statu cognitionum, & præcisionum obiectiue sunt: ergo, si ex parte obiecti idem subiectum, & obiectum formale vtriusque propositionis est, nil refert ad verificationem, vel falsificationem nostrorum conceptuum formalium, vocumve diuersitas, Denique, si idem omnino subiectum, & obiectum vtriusque conceptibus, & vocibus cognoscitur, & significatur, atque formaliter per quemuis eorum conceptuum, & quamuis earum vocum concipitur, & significatur, vel Paternitas, vel Pater vel Natura, nullumque eorum formalis, per vnã, quam per aliam. Ex quibus omnibus constat sine obiectiue præcisionibus Veritates Catholicas mysterij Trinitatis intelligi, explicari, asserique non posse. Indecum etiam inter Essentiam, & Attributa deberi consequentia causa, præcisiones obiectiue concedi.

CERTAMEN III.

Specialiora argumenta præcisiones obiectiue inter Essentiam, & Attributa confirmant.

1 Sed, licet iuxta nostri Arriagæ memoratam sententiam, ex præcisionibus obiectiuis personalium Trinitatis à communibus legitime hæc (ut inferuntur quidem) non inferuntur, sed ex virtuali eorum distinctione: in ipsis communibus facile probantur. Primò autem Sanctus Thomas in hac fuisse sententia nemini dubium est. Tum, quia Attributa Dei Essentia concedit, quæ sine hac præcisione stare non possunt: Tum, quia id expressè docet in 1. d. 2. qu. 1. art. 3. corp. & §. quantum ad primum, & §. quantum verò ad quartum, ubi post multa ad rem hanc consentanea, ait, Essentia, & Attributorum nomina Synonyma non esse, ac pluralitatem rationum, quæ eis significantur non esse tantum ex parte intellectus, sed etiam ex parte ipsius Dei. Ne autem quis intelligat dici ex parte Dei, in ordine ad diuersa connotata sumpti, præuenit art. 2. (dicens) *Quidam dicunt quòd ista Attributa non differunt, nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse, &c.* Tandem expressit sententiam & doctrinam 1. par. qu. 54. art. 14. quare nemo ex Thomistis, siue præcis, siue imprecis, hæc de re circa S. Thomæ mentem dubitauit; sed ab hac sententia expressè stare vno ore fatentur.

2 Neque Sanctorum Patrum sententia ea de re est obscurior. Et primò quidem Basil. 1. contra Eunom. vers. med. col. 11. de Attributorum & Substantia diuina nominibus, synonyma esse, sicut nuper S. Thom. negauit, ut recitabamus d. 2. qu. 2. certam. 3. n. 1. fine. Si autem idem, ex parte obiecti etiam, significarent voces, & conceptus, pro quibus substituantur, & idem obiectiue representarent, synonyma voces essent, ut patet. Nec refert non esse synonyma, quæ licet idem ex parte obiecti, & significati, diuersimode tamen conceptum significant: quia synonymia nominum ex significati, ad quod exprimendum posita pro conceptibus internis sunt, identitate obiectiua adæquatè desumitur; alioqui si conceptus identitas etiam requireretur, nulla essent synonyma, cum nihil sit, quod diuersimode concipi à nobis nequeat; imò synonymia om-

nes voces, & conceptus diuersi esse debent, ut synonymiam habeant. Sed nec magis præstat, quòd debeat idem concipi, & significari in ordine ad idem connotatum extrinsecum, non ad diuersa. Tum quia, ut nomina ex connotatis diuersis synonymia non sint, eis ipsis ea connotata, indirectè saltem, debent significari, nec satis est, aliis additis vocibus idem obiectum, seu significatum ad diuersa comparari, ut patet in his: *hic gladius est meus: hic ensis emptus est ex Ioanne.* In quibus diuersitas comparationum ad diuersa connotata per alias voces explicata, non tollit nominibus *Glady, & Ensis* synonymiam. Tum, quia plura sunt diuina nomina, quæ sunt diuina, & sine vilo respectu ad extrinsecum significant, ut nomen *Essentia*, & quod idem est Existencia, Voluntas, Intellectus, Infinitas, Scientia, Amor, Simplicitas, Bonitas: ergo hæc, nec significantur, nec concipiuntur in ordine ad connotata diuersa, ac proinde synonymia erunt, contra Basilium, qui id de horum plerisque nominatim negauit.

3 Secundò Nyssen. lib. ad Ablau. *Quòd non tres Dii*, recitatus num. 2. citato, post multa ad rem hanc perperua, aiebat nullo ex notis Dei nominibus, & prædicatis communibus à se enumeratis, quorum vnumquodque diuinum aliquod peculiare significat, Naturam Dei denotari. Et lib. postea, de Trinitate, ad Eustach. ibidem recitatus, aiebat, nondum post tot diuina nomina orationem naturæ Dei indicem, seu significatiuam esse ex cogitant. Cui consonabat ibidem recitatus Damascen. ex 1. de Fide cap. 4. asserens ea nomina non infinitate Dei naturam: Atque si quodvis Dei nomen totam entitatem Dei, ac non præcisam ex parte obiecti significaret, necessariò significaret Naturam: ergo formalitates, seu prædicata diuina præcisam ex parte obiecti, ex horum Patrum mente significant. Huc facit etiam Cyril. 11. Theofau. ibidem recitatus, asserens hæc omnia non significare Naturam. Accedit Nyssen. citato loco de Trinitate, ad Eustach. non solum aiens, non significare Dei naturam, sed significare aliquid, quod circa illam sit: quo etiam pacto, citato loco scripsit Damascenus, innumericque alij Patres citati, n. illo 2. Tandemque significauit citato loco Cyril. addens: ea nomina solum significare aliquid eorum, quæ in substantia Dei insunt. Quibus verbis significata nomina Dei, ut Naturæ & Substantiæ diuinæ accidentia, seu proprietates metaphysicas à nobis concipi, & cogitari fatentur. Imò expressit Cyril. ibidem post libri medium dicens. *Non omnia, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur substantiam significant. Reliquum est igitur ut rationum, modo quoque dicendi accidentia esse dicamus: quoniam modo accidentium ea intelligimus: quod abique mentali obiectiua eorum ab Essentia præcisione fieri, intelligi non potest.*

4 Quartò Nyssen. citato loco ex lib. postea, de Trinitate, ad Eustachium aliud, & aliud (scilicet Essentiam Dei, & vnumquodque ex significatis diuinorum nominum concludere: quia, quorum ratio, definitioque diuersa est, ut significatis diuinorum nominum euenire ait, eorum quoque Natura, seu Essentia, debet esse diuersa: quomodo autem aliud, & aliud significata eorum nomina erunt, si idem ipsum, impræcandibile adhuc per mentem, significant: sed Basil. 1. contra Eunom. med. circiter, mentalem Attributorum Dei diuisionem, quam fieri præmiserat, sic explicat; *Incorruptibilem, ac ingenium Deum dicimus diuerso mentis obiectu.* Obiectus autem mentis, non eius representationem, sed representatum, quod menti obicitur bene, imò mediocriter etiam latinis, significat. Quemadmodum, & prospectus, non oculorum prospectantiam, seu visionem significat, sed quod oculis proponitur prospectandum, sic quod Hispanè dicimus. *O que vistas venenos a esse aqui!* Latine vertendum est. *O que hinc prospectus!* (non autem oculos, seu prospectantias,) habemus! Sanè adeò præcisionem obiectiuiam ex parte obiecti, & significati per conceptus, & nomina diuinorum Attributorum certam, omnibusque tam Patribus, quam Philosopherum notam æstimauit Basilus, ut oppositum ritu, quam argumentis relegendum iudicauerit loco citato vers. med. *Quis pacto (aiebat ille.) Non irridendus, si Providentiam rursus Substantiam, eodem modo Prospectantiam, & omnem item operationem Substantiam putet.* Dei autem operatio, & substantia non modus

modus noster cognoscendi est, vt patet, sed quod in Deo est.

5 Sexto item ex Patrum ferè omnium autoritate, sic argumentor. Omnes Patres (vltra recitatos etiam) inter Essentiam, & Attributa distinctionem rationis, quæ verè sit talis, & quæ verè attributa per rationem ab Essentia distincta dicantur, sunt interpretandi: atqui distinctio rationis, verè talis, Attributorum ab Essentia sine eorum ab Essentia, & è contra, obiectiua præcisionis esse non potest: ergo Patres vno ore præcisiones obiectiua Essentia ab Attributis, & è contra, horum ab illa fatentur. Minor probatur: quia, quod distinguitur verè ab alio, necessariò non est illud, aut formaliter, aut consequenter: sed nequeunt Attributa verè non esse per rationem Essentia, nisi per rationem, & cognitionem Essentia non appareant, nec cognoscantur Attributa, neque è contra: quod ipsum est præcendi obiectiua per rationem, Essentiam ab Attributis, & è contra: ergo nequeunt verè hæc per rationem distinguantur sine præcisione obiectiua. Dices verè dici, distinguantur per rationem idem obiectum ex parte etiam obiecti idem, ex eo, quod distinctis cognitionibus attingatur: prout cognitum enim hac cognitione à seipso, prout alia cognitum, diuersum, ac non idem est. Contra: ergo ex eo, quod Deus, vel non, vnus obiecti diuersas cognitiones in se, vel in alio, atque in alio per idem media habeamus, imò & in se, vel per idem medium ex nobis diuis per illud ipsum, illudmet habeamus, verè illud ipsum obiectum dicitur per rationem distinctum. Nam, prout cognitum per vnã cognitionem, non est cognitum per aliam.

6 Contra Secundo: quia, licet cognitions, à quibus idem obiectum tangitur, & tanquam à formis denominatur, diuersa sint, at inde, neque ipsum distinctum verè dici, adhuc per rationem potest. Nam distinctio vera, in quovis genere distinctionis, pluralitatem dicit extremorum, inter quæ est, & de quibus dicitur: hic autem non cognitionem, sed obiectorum, seu Attributorum, & Essentia distinctio per rationem dicitur: ergo, vt verè dicatur, & sit, satis non est cognitionem de eodem prorsus obiecto diuersitas, sed obiectorum pluralitas, & diuersitas requiritur. Contra Tertio: quia, quodvis subiectum, prout affectum vna forma, non est idem atque, vt affectum alia forma, siue intrinseca, siue extrinseca: & tamen diuersitas, & distinctio formarum satis non est, vt verè dicatur à seipso distinctum, vt patet exemplis mille. Quarto, si id satis foret, vt verè aliquid distinctum esset, ac diceretur, nulla esset in propositionibus contradictio. Nam idem subiectum, prout informatum albedine, distinguatur verè dici potest à seipso, prout sine illa, siue cum negatione albedinis: cum nihil magis diuersum, & oppositum albedini, quam eius negatio: ac proinde, verè dici potest Petrus est albus, Petrus non est, albus simul. Quinto: ad vnitatem veram rationis satis non est plura obiecta concipi, vnico conceptu formalis, sed ea ex parte obiecti adunari, siue, vt vnum concipi: alioqui cognitio pluribus, etiam, vt pluribus dissimilibus, fieret vniuersale metaphysicum: ergo, vt sine verè prædicata vnus Dei diuina per rationem plura, & distincta, diuersis cognitionibus, idem ex parte obiecti concipi satis non erit: sed necessariò plura ex parte obiecti debent concipi, & apparere: quod absque obiectiua præcisionibus fieri nequit: ergo dicendum est plura nos ex parte obiecti concipere cum Essentia Dei, & cum eius Attributa concipimus: quorum neutrum integer Deus concipitur sit (cum plures Dii veri non sint, sed impossibiles: ea vero prædicata vera, & realia sint) sed prædicata diuina, quæ Deum integrum metaphysicè, & per rationem component nostram, quod erit probandum.

7 Septimo arguo: Deus lumine naturali, atque ex naturalibus, absque Fidei lumine euidenter demonstratur, & cognoscitur per omnes Theologos, & tamen eisdem contentantibus non cognoscitur (imò neque ex eis solis principis cognosci potest) Trinus in Personis: ergo Essentia Dei cognoscitur ignoro eius Attributo Trini in Personis: quod est aperte per rationem ex parte obiecti illam præcisam cognosci. Respondet Hurtado, attingi æquè immediate, & primo Trinum in Personis, quia Deitas, & Trinitas idem reipsa sunt: at non diiudicari an Trinus sit, quia id media non osten-

dunt, neque arguunt. Sed contra. Impossibile est idem omnino, etiam ex parte obiecti, obiectum eisdem mediis, & discursu ostendi, & argui euidenter, & clarè, quin eodem discursu, & mediis eadem claritate ostendatur, & arguatur. In hoc enim est euidenter, & euidentior contradictio, quam hic auctor conatur inferre in præcisionibus vnus formalitatis rei physice eiusdem ab alia, eidem rei identificata: atqui Deitas, & Trinitas idem omnino obiectum, etiam ex parte obiecti est: ergo impossibile est Deitatem ostendi, & argui euidenter, & clarè ex naturalibus mediis, quin ex eodem discursu, & ex mediis eisdem arguatur, & ostendatur euidenter, & clarè Trinitas. Vel contra, si ita non arguitur Trinitas, obiectum idem ex parte obiecti non est, vt contendimus. Denique omitto quod distinctio hæc non est rationis distinctio verè (vt Patres, & Theologi aiunt,) si distinctio diuinorum est, sed verè realis cognitionum pluralitas, quæ sola est realis, & realiter est. Sed ad præcipuum argumentum respondet Oniedo, Secundo: Per cognitionem illatam ex mediis naturalibus de existentia Dei, Deum Trinum cognosci, non quidem per conceptum respondentem huic propositioni: *Deus est Trinus*, sed per consuetudinem alium huic respondentem: *Deus est vnus*: ex vi cuius ab alio non Trino Chimerico non discernitur Deus, sicut per primum: atque hanc diuersitatem non esse formaliter, & directè in obiecto primario cognito, sed in cognitionibus, & obiectiua in mediis: quia idem obiectum per diuersa connotata, in vtrâque propositione cognoscitur. Inuoluit solutio effugia omnia, nempe tria non præcipientium. Per diuersitatem cognitionum, diuersitatem meliorum, & connotatorum diuersitatem singularum refello.

8 Et primò, diuersitatem connotatorum, quæ in re præsentem non est, sed mediourum, seu motiourum solum ad assensum Dei, vt Trini per reuelationis medium vnicum, ex quo format Christianus conceptum, & iudicium huic propositioni respondens: *Deus est Trinus*: quod connotatum Trinitatis non est: & Dei vnus per media naturalia, ex quorum tantum cognitione in præmissis deducitur, ac formatur iudicium his vocibus respondens: *Deus est vnus, vel Deus est*: In qua cognitione non cognoscitur Deus relatè ad creaturas, licet in præmissis ita fuerit cognitum, sed Dei entitas, & Essentia singularis. Insuper Philosophus Ethnicus ex mediis naturalibus cognoscens Deum vnum, seu Deum esse, non idèò ignorat absolute esse Trinum, quia hoc non cognoscit ex reuelatione, siue quia reuelationem ignorat: id enim solum potest efficere, vt ex reuelatione ignoret: ergo, si aliunde per possibile, vel impossibile, sciret, absolute sciret Deum esse Trinum sine reuelatione (vt præcipientes aiunt cognosci cum ex naturalibus cognoscitur Deus vnus) nihilque de nò scit, cum reuelatio de Deo Trino accedit. Ac proinde ex naturalibus cognoscitur Deus Trinus absolute contra Patres, & Theologos omnes: vel datur inter hæc præcisio obiectiua, vt contendimus. Et lanè mediourum, ad quam confugiunt, diuersitas, quibus iudicium internum, & cognitio habetur, quæ vocali huic propositioni respondet. *Deus est vnus*, ab eis, quibus hæc habetur: *Deus est Trinus*. Extra choram ad rem præsentem adducitur. Loquendo enim de conceptibus formalibus, ac non obiectiuis diuersis, vt hi necessariò loquuntur, non contendimus eos diuersos non esse, per quæcumque media habeantur: sed solum eorum primo, vel non attingi Deum Trinum ex mediis, quibus euidenter attingitur Deus vnus, qui idem realiter Trinus est, ac proinde in diuinis dari præcisiones obiectiua; vel attingi, & cognosci Trinum etiam ex mediis solum naturalibus, & omni prorsus reuelatione seclusa: quod est, vt diximus, absurdum, & contra omnium Patrum, & Theologorum sensum, atque contra Philosophorum sapientissimorum constanti, de Deo Trino ignorantia (eorum, etiam, qui ex naturalibus Deum vnum censentur demonstrasse) manifestam experientiam.

9 Atque inde etiam primò illud de diuersitate cognitionum effugium obduratò obruturatur. Etenim quidquid sit claritas illa, & modus expressior cognoscendi, & proponendi, vt vnum eundem Deum Trinum reipsa, & identicè vnum per conceptum, & iudicium internum his vocibus respondens: *Deus est vnus*, quibus vnus externè explicata

ORTEGA
In a part
D Via

explicatur, Trinus autem non item, sed confusus, quam per aliud: *Deus est Trinus*, reale aliquid in primo iudicio est: vel ergo reale modo, & expressione attingitur, & iudicatur Deus Trinus, vel secus. Si iudicatur, Philosophus absque reuelatione, eadem claritate, & modo expressionis ex eisdemque mediis naturalibus, quibus euidenter cognoscit demonstrat, & iudicat in conclusione Deum unum, cognoscit & iudicat Trinum contra Patres, & Theologos omnes. Si non ita iudicatur: ergo praescindit in eadem entitate Dei Trini, praedicatum Dei, a praedico Trini; ex parte obiecti: id enim est praescindere ex parte obiecti, cognoscere aliquo modo rei praedicatum, non cognito alio, in quo eadem contradictio, quam in nos, non praescindentes obiciunt, (si vera contradictio esset) aperte in ipsos regeretur; quod argumentum nullatenus emoluitur ex eo, quod per primum iudicium, licet totus Deus cognoscatur, & discernatur ab omni non Deo, possitque reddi a sic iudicante ratio Dei Vnius; non tamen discernitur ab omni non Trino, nec possit ratio reddi ab illo Trinitatis, sicut per secundum. Si enim adeo clarè Deus, etiam totus secundum praedicatum Trini cognoscitur, & iudicaretur per primum iudicium, sicut cognoscitur, & iudicatur Vnus, dubio procul discernetur ab omni non Trino, possitque ratio reddi a sic iudicante Dei Trini, seu Trinitatis, sicut per illud iudicium ab omni non Deo discernitur, potestque Deitatis ratio reddi eo praecise, quod Deus Vnus clarè cognoscitur per illud in horum sententia: quamquam ad iudicium discernendum opus est iudicio comparatio, ad quod vtriusque extremi cognitio, & iudicium est opus; non est autem opus, vt cognoscatur Deus, Vnus Deus, per media naturalia, Vel Trinus ex reuelatione de aliis entibus, quae non sunt Deus, vel alius, quae non sunt Trina cogitare; ne dum iudicare, vt patet. Imò verò facta comparatione Dei, vt Vnius, cogniti per primum iudicium ad entia, quae non sunt Deus, & omne non Trinum, quoquo modo cognitum, non cognoscere dissimilitudinem, quae reipsum in Deo cognito ab omni non Trino, in aduersariorum, sententia etiam est, praescindere proculdubio est.

10 Proximo absurdo affinia plura ex ablatione obiectiuarum praecisionum inferri possunt: ex quibus nonnulla tandem summam percurram. Primo enim errores omnes, qui circa Dei Substantiam in Ecclesia extirpare, fuissent impossibiles. Nam Arius, v.g. Confubstantialitatem Verbi negans verbis, cum Dei existentiam, Sapientiam, & plura alia vera praedicata Dei recognoscere, Confubstantialitatis eius, quam verbis negabat, interior assentiebatur: cum vnum ab alio praescindere non posset in eadem entitate. Imò verò, cum illa externè etiam fateretur, illam externè etiam fateretur, cum per voces praecise aequè, atque per conceptus repugner: quare non haereticus damnandus esset, sed stoliditatis, quod contradictoria fateretur. Secundum aequè clarè reuelasset Deus Hebraeis verbis illis. *Ego sum, qui sum*. Trinitatemque, ac suam Essentiam, & Deitatem: quod est contra Patres, & Theologos: vt videre est apud Bellarmin. lib. 1. de Christo, Valent. controuerf. de Trinit. lib. 5. Valq. 1. par. dist. 108. Ruiz d. 63. Tertium. Haec apud Theologos omnes Sancta, dici non possent. *Deus voluntate vult, non intellectu*. Item *Deus in quantum Vnus causat, non in quantum Trinus: vt Omnipotens, non vt Aeternus*, ac ferè omnia, quae per reduplicatam de Deo dicuntur, dici non possent: cum adhibita reduplicacione alteri praedico diuino falsitatis argui possent. Etenim idem obiectum est, de quo affirmatur, & negatur praedicatum idem iuxta non praescindentes. Neque Intellectio, & Volitio diuina, actus intelligendi, aut amandi è suo conceptu dicuntur: quia Voluntas, Intellectus, Essentia, Personalitates Dei, quae idem ex parte obiecti, etiam obiectiuè, apud non praescindentes sunt, tales è suo conceptu non sunt. Quod ex vna, vel alia formalitate de Deo dicitur, aut inquiritur an Deo conueniat, ridicule, & negatorie inquiratur. Item & haec quae ferè à Theologis examinantur, in quo Essentia Dei consistat: An detur in Deo Intellectus, & Voluntas per modum actus primi? An Omnipotentia consistat in actuali Dei Intellectione, & volitione? An Attributa sint proprietates metaphysicae Dei? Imò an sint Attributa diuina in Deo, & similia in-

numera. Si enim idem ex parte obiecti, etiam obiectiuè, cuncta diuina sunt; pleraque horum, & similia idem sunt, ac quaerere an Petrus sit Petrus? Plura etiam de subiecto non supponente sunt, vel in terminis implicent, vel in ipsa quaestionis propositione habent conceptam solutionem.

CERTAMEN IV.

Mutua Essentiae, & Attributorum inclusionem formalem explosa, esse verè Attributa metaphysica in Deo concluditur, aliisque leuioribus quaestiuiculis fit satis.

1 **E**X dictis contra non praescindentes certam. 3. Satis mutua formalis inclusio Essentiae, & Attributorum reiciebatur. Si enim diuinum quodvis praedicatum caetera formaliter includit. Vnum quidem, atque idem, non plura, & diuersa, ex parte obiecti concipiuntur, cum de vno, vel omnibus Dei praedicatis, & formalitatibus, siue tanquam de subiectis, siue tanquam de praedicatis cogitamus. Quare argumenta omnia contra non praescindentes ex parte obiecti facta, aequè valde contra haec mutua inclusionem decernant: quare eis reperiendis, & contra eam applicandis abstinere. Similiter abstinere aliis argumentis, quae contra similem mutua inclusionem Essentiae, & Personalitatum dedi citata controuerf. 8. de Trinit. quaest. 4. praeterim duarum repugnantiarum, quas certam. 1. num. 3. & 4. in simili eorum sententia deprehendi. Alteram, in ipsis terminis, & vocibus, quibus ea sententia proponitur. Alteram, quam nuper expendi, in consequentia manifestè Doctorum, quibus hoc certamine pugno. Cum enim hi ex praescindentes obiectiuè Essentiam ab Attributis, & e contra sint, hanc opinionem negare implicatione, & contradictione manifesta coguntur: cum vnicum solum obiectum, etiam non solum realiter, & physice idem, sed idem & vnicum obiectiuè, & intentionaliter in his omnibus ex mutua etiam in aliis inclusionem fateri teneantur, vt modo dicebam: id quod, nec sententiae huius Antesignanum Sorianum nostrum latuit, vt notabam certam. 1. num. 5. siquidem 1. de Essentia, & Attributis cap. 13. citato ad Nominalium sententiam planè se recepisse num. 8. respondens: nihil in re concepta, etiam ex parte obiecti, includi in vno, quod non includatur in alio: solumque ex nostro modo diuerso concipiendi dici per rationem distingui; quae est aperta non praescindendum sententia.

2. Ex Patribus ea omnia, quae dedimus certam. 3. n. 1. mutua hanc Essentiae, & Attributorum inclusionem excludunt; Primum, dum synonyma diuina nomina negant, forent autem synonyma ex mutua hac inclusionem, cum nullum non significaret, quod aliud. Secundò: quod diuina nomina attributalia non significant Essentiam siue substantiam Dei. Tertio quod significant ea, quae sunt circa naturam, siue in natura, atque, vt eius accidentia; Quarto, quod aliud, & aliud significant Dei nomina, & significatorum per illa diuersa definitiones sint; Quintò Basilij irrationem subeunt: nam Sapientiam, & caetera attributalia nomina significare Substantiam aequè, atque nomen Substantia, defendunt; Sextò, distinctio rationis Essentiae, & Attributorum, quae verè ratiois distinctio sit, à Patribus asserta, & Theologis, hac mutua inclusionem aboletur, vt constat ex disculsi facto n. 5. Septimò Athanas. Basil. Chryf. & alij apud Ruiz citatum, vt aliquod etiam ex communibus praedicatis de Deo afferunt, vel negent, reduplicatiuis vnum supra vnum, vel aliud praedicatum diuinum cadentibus: quae sine mutua praedicatorum diuinorum exclusionem obiectiuè, fieri concipi non possunt; Octauò. Patres plures aiunt, apud eundem Ruiz, & citatos pro nostra sententia Doctores, plura esse diuina in Deo, etiam communia; & tamen ea omnia esse vnum, vt ex Bernardo, & aliis recitabamus d. 2.

d.2. qu.1. & 3. quibus in his, quæ in Deo sunt, plura distincta per rationem, & metaphysicè inter se dari, quæ tamen res ipsa idem sunt, aperte docent: quod cum mutua hæc diuinorum prædicatorum communium inclusione cõsentire minime possent. Nonò denique, Patres, & Theologi de Dei prædicatis communibus, in numero loquuntur plurali: quod, ni ea inter sese distincta conciperent, minime efficere possent, vt modo dicebam. Quare mutua hæc Attributorum, & Essentia inclusio omnino Patribus aduersa censenda est; nostra verò asserta exclusio eorum muticem, omninò eisdem Patribus semper, & constantè amica, & familiaris.

3. A ratione verò præter argumenta data cert.2. contra non præcidentes obiectiue pro necessaria obiectiua præcissione adæquata Essentia à Personalitatibus, & d.8. de Trinit. quæst.4. (ex qua eadem in prædicatis communibus futura conueniunt, vt certam. illo secundo num.1. obseruabamus, ac proinde & mutuan hanc inclusionem impugnat) alia subiungam, quæ dedi in simili, eadem disp.8. de Trinit. quæstione 3. numero 2. Primò enim clarus, distinctiueque cognoscitur entitas diuina conceptibus respondentibus pluribus, & vel omnibus vocibus prædicatorum diuinorum, quam conceptu vnicò respondentente nomini vni diuino. At maior claritas stare nequit in repetitione, & multiplicatione eiusdem conceptus obiectiui quæ obiecti eisdem; ergo stat in eo, quod vnoquoque conceptu explicatiuis, & per partes metaphysicas obiectiui Deus proponitur; quod argumentum etiam non præcidentes impugnat: Neutris autem patet recursum ad diuersa extrinseca connotata. Ponè enim conceptus plures esse de prædicatis pluribus communibus diuinis, quæ extrinsecum connotatum, nec habent, nec sonant: Secundo: Hæc propositio *Essentia diuina est Essentia diuina*, diuersa, facillimeque est ad assensum, quam hæc. *Essentia diuina est Sapientia*, vel *Bonitas*: Atqui, nisi diuersum quid Sapientia ab Essentia, ac etiam Bonitas ex parte obiecti forent, vna ab altera, nec differrent, nec assensum haberent facillimè. Tertio: Ni quid diuersum essent Essentia, & Attributa omnia, locus comparationi inter ipsa, quoad prioritatem, posterioritatem, & perfectionem, & alia esse non possent, neque quæstioni: æquis enim, non velans, in his Essentiam cum Essentia, aut Sapientiam cum Sapientia compararet, aut de eiusmodi comparationibus inquirat? Quarto: Sæpissime de Essentia, vel vno Attributo agimus aliorum profusè immemores, vt patet ex d.2. & constat rursus ex d.4. & 9. vbi de Attributis singularitè agitur. Quintò: Attributa diuina, vnumquodque diuersum habet propriam definitionem, & demuminationem ab alio quouis, & ab Essentia: quod autem idem ex parte obiecti formalitatis est, atque in alio mutuo includitur, eadem definitione clauditur, eademque demonstratione, & discursu probatur cum illo. Sextò: vsus reduplicatiuum in diuinis prædicatis communibus, de Deo agentibus frequens, inceptus hac mutua inclusione redditur. Septimò: nomina tot Dei synonyma non sunt, ac proinde eorum significara ex æquo sunt, sicut & nomina diuersa. Octauo: in creatis, pluribus conceptibus etiam obiectiuis (in horum præcidentium, cum quibus agimus sententia) eoque pluribus, quò creatum perfectius est, res constant: ergo potiori iure in Deo infinite perfectiore, omniumque summè perfecto, & perfectissimo.

4. Contra duplicem conclusionem vtriusque certaminis proximi argues. Dei prædicata nequeunt distingui distinctione rationis ratiocinatae, seu cum fundamento in re: atqui ea solum, quæ ita distinguuntur diuersa ex parte obiecti sunt: ergo prædicata diuina non distinguuntur, ac feceruntur verè vicissim alterum ab altero obiectiue, per rationem; Maior probatur: quia ea solum prædicata res ipsa eadem distinguuntur cum fundamento in re per rationem, quæ in ordine ad diuersa connotata extrinseca concipiuntur: vt patet in animali, & rationali hominis, & similibus: atqui pleræque, & plura prædicata diuina non habent, nec concipiuntur in ordine ad extrinseca connotata: ergo nec distinguuntur per rationem cum fundamento in re. Si autem de pluribus id verum sit, de reliquis etiam erit. Nam in illis eadem argumenta probant, distingui debere: quare si de illis non

Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus I.

probant, nec de his probant. Respondent negando primam minorem. Ad eius probationem negatur maior, cum Ruiz d.12. de Trinit. lect.4. numer.2. cum sancto Thoma, Molina, Gilio, & aliis: qui id in diuinis negant. Ego autem vniuersim. Nam æque in creatis, prædicata omnia, quæ ratione ratiocinata, seu cum fundamento in re distincta concipiuntur, in ordine ad diuersa connotata extrinseca concipiuntur: vt patet in prædicato entis, & existentia, quæ in homine sunt, & in aliis hominatis, veritatis, & similibus eiusdem: quod etiam in diuinis pluribus euenire supra ostendebamus.

5. Sed iustas. Fundamentum in re, quod distinctio rationis ratiocinatae requirit, vel debet esse in re ipsa, in qua prædicata distinguenda identificantur, vel in connotatis extrinsecis, in ordine ad quæ distincta rei eiusdem prædicata concipiuntur: atqui in Dei entitate simplicissima nequit esse eius distinctio fundamentum: ergo erit in extrinsecis connotatis diuersis, in ordine ad quæ eiusmodi prædicata concipiuntur. Minor probatur. Nam res vna, & simplex physice, nedum vniuersa, & simplicissima entitas Dei, potius præbet fundamentum, vt vniuersa, ac simplicissime concipiatur. Negatur tamen minor. Ad cuius probationem, nego rem simplicissimam non præbere fundamentum capacitatis (licet non præbeat fundamentum exigentia absolute, vt eius prædicata ratione distinguantur) id quod satis est, vt absolute eius distinctio fundamentum præbet. Etenim eo ipso, quod perfectior entitas, & identitas rei est, plura adunare debet, quæ in aliis imperfectioribus entibus sunt dispersa: & si sit perfectissima, & vniuersa, omnia, quæ in omnibus, vt patet in homine, qui, quia subtilioribus, & corporeis perfectior, omnia imperfectiorum bona, & prædicata in se adunat, capaxque proinde est, & fundamentum præbet, vt plura prædicata in ipso distinguantur, qui præ intellectus nostri, & modi cognoscendi tenuitate, non nisi partitè ex parte obiecti conceptibus illum adæquatè cum aliqui claritate pro hoc statu percipere valemus: quod longè magis à perfectissima Dei entitate exhibetur, cuius infinitus perfectionum cumulus efficit, ne vno abstrahitio, & per species alienas habito conceptu, à nostra imbecillitate simul, semelque capiatur.

6. Obiectioni de Dei Simplicitate aduersariis vtriusque fecimus satis, atque authoritatibus pro mutuo includentibus. Argumento de contradictoriis, pro non præcidentibus occurrit in dialect. controuers. illudque regessimus contra ipsos cert.3. & 4. quare nihil hic de eo dicendum. Pauca autem de alia quæstione: an Attributa ab Essentia tanquam res à re, an tanquam modi à re per rationem distinguantur: Ex dictis enim d.8. de Trinit. quæst.3. certam.2. num.5. constat, ne Personalitates quidem tanquam modos à re, sed tanquam res à re distingui, & Patrum eos modos appellantium sensus. Vnde potiori iure Attributa vt res à re ab Essentia distinguuntur per rationem, idque probat argumentum quartum num.3. Neque modus obiectiui esse alterius obiecti potest, qui potest sine illo, vt ibi dicitur menti obiecti, & cogitari, quare & obiectiue esse sine illo: sicut, nec quod sine alio physice esse potest, illius modus physicus dicendus est. Quod autem Attributa actus metaphysici Essentia sint, & dicantur (ex quo Murciani Recentiores modos Essentia esse per rationem nostram defendunt) nullus est ponderis. Nam quicumque effectus, non modalis etiam, actus suæ potentia directè à Philosophis dicitur. Denique omittenda à nobis illa quæstio est, An respectu videndum clarè Deum, diuersum quid ab Essentia, Attributa ex parte obiecti sint? Ac proinde an sint vera Attributa metaphysica respectu illorum? Vtraque enim quæstio eadem cum illa est. An clara visione possint obiectiue, physice eiusdem formalitates præcendi? In qua respondimus affirmatiue, citatis d.8. de Trinit. quæst.3. certam.2. num.3. ac sæpius

controuersis de Incarnat. de Logica, & Metaphysica.

† QVÆSTIO

ORTEGA
IN A. PAKI
D. Vta

**QVÆSTIO II.**

An ratio Entis à se, siue Essentia Dei metaphysica, Attributa diuina metaphysice transcendat, ac proinde hæc ab illa solum inadæquate distinguantur, ratione huius non mutue inclusionis Essentia in Attributis.

QVÆSTIONEM ingredior non satis tritam, pro cuius tamen decisione d. e. de Trinit. qu. i. semina teci non pauca: Dum, an personalitates rationem entis substantiui metaphysici habeant, ac proinde ratio eiusmodi entis pro Personarum numero in Trinitate multiplicetur: profusa questione examinavi.

CERTAMEN I.

Communior sententia, & pro nostra decisione obseruationes.

1 Dixi præsentem questionem non satis tritam: quia nec quantum satis est video à Doctoribus disputatam; sed cursim, vel suppositum potius prædicatum entis à se in omni prædicato diuino, formaliter imbibit, idque satis verosimilibus rationibus: Cum non minus, quam Dei Essentia, reuera à nullo efficienti principio sit, esse uel possit. Secundo: quia Attributa diuina, uera, & realia Attributa, & formalitates Dei sunt, neque solum ratione nostra architectata, & physice repugnantes: ergo Attributa omnia, formalitatesque diuina, entia omnino realia formaliter in seipsis metaphysice sunt. Probarur consequentia: quia, quidquid nec physice repugnat, neque solum rationis beneficio existeri obiectiue potest, ens reale etiam metaphysice est. Iam uero, si ens reale metaphysicum, quoduis Attributum est, increatum subinde, & à se ens erit, cum non sit ens creatum: quandoquidem nihil creatum, & ab alio identificari cum Deo potest, sicut eius Attributa physice, & uerè Deo identificari citra dubium est. Tertio: Attributa omnia, & singula sunt perfectiones, habentque de suo conceptu Bonitatem: ergo & de suo habent entitatem, seu entis metaphysici prædicatum. Cuius Bonitas, metaphysice proprietates est. Quarto; habent etiam de suo genere, & formali conceptu infinitatem, quæ sine entis ratione esse non potest. Quinto denique: Attributa diuina non sunt de suo conceptu nihil metaphysicum: ergo aliquid metaphysicum, diuinum quidem, & à se. Hæc pro communis sententia.

2 Pro apertiori uero questionis huius, & uerosimilioris sententia decisione obseruandum hic erit, quod d. e. de Trinit. præfat. quæst. i. obseruabamus; Nempè ens reale metaphysicum dupliciter usurari. Primo latissime, prout omnia entia, & prædicata realia complectitur, atque ad conuersionem, cum eorum possibilitate, seu non repugnantia, dicitur, atque entis rationis, seu chimæ directæ, & immediate opponitur: siue, dum actu est, formalis existentia summet sit, atque, dum possibiliter solum est, & consideratur, sit potentia logica solum existentia suæ, etiam metaphysice loquendo: quemadmodum concipitur à nobis prædicari existentie possibilitas: quæ non est formalitatis obiectæ, & conceptæ adhuc, differentia, sed statuum formalitatis eiusdem. Secundo modo: Ens reale metaphysicum usurpatur strictius, non solum pro non repugnante, seu possibili, sed pro formalitate essendi metaphysice, siue pro existentia ipsa, siue actuali, & actualiter exercita, quæ possibili-

ter, seu possibili: quo pacto potentiam logicam essendi eam nuper nominabamus. Atque ea acceptione id solum prædicatum ens reale metaphysicum erit, quod sit esse, siue existentia in statu alterutro, siue possibili, in quo ordinem logicum ad existentiam, quæ ipsamet formalitas ipsius est, entis huic strictè metaphysice tantummodo concedebamus ibidem: licet, latiori modo, & usurpatione illa entis realis, metaphysice entia ea omnia prædicata, quæ uidecumque existeri non repugnant mentio nominentur.

3 Id patet ut ibidem obseruabamus in Scotica, & nostra opinione metaphysice de abstractione entis adæquata, ab omnibus rerum differentis, & prædicatis realibus, quibus ad uiamquamque eorum constituendam, atque ab aliis omnibus distinguendam contrahitur, & quasi reuincitur. Neque enim Scotus, uel nos, cum ea prædicata differentia reipia uera, & realia esse, ac minime per rationem solum ficta faciamur, ea repugnantia aut chimærica implicatorie fatemur. Sed ea tamen non ita habere in suo formali conceptu esse, ut, cum actu exercitè esse concipiuntur, existentia sibi formaliter, & metaphysice intrinseca sint, & existant: Cum autem concipiuntur esse non exercitè, potentia logica formaliter metaphysice sint ad sui existentiam, sed ad existentiam Essentia diuina cum ipsis identificata, ex qua, seu qua, iure identitatis illius ipsa existant: Ac proinde cum illa, ut subiectum metaphysicum comparantur. Inde ens late sumptum, ens adiectiue, seu adiectiuum metaphysicum. Ens uero strictè sumptum, ens substantiuum, & neutrum metaphysicum (quo pacto idem quod esse, seu entitas metaphysice est) appellabamus præfat. citata. Unde etiam constat duabus acceptionibus similibus nihil, usurari debere: & adiectiue, & substantiue, seu late quidem, & strictè. Cum enim nihil entis contradictorie, & immediate opponatur: totidem modis, quot ens, cui opponitur, necessarè dicitur.

4 Demum obseruandum est, Ens reale omnium ferè Philosopherum, & præcipuè Aristotelis sententia analogice dici de Substantia, & Accidenti: in qua principale analogatum est ens, quod substantia est, quia hæc solum absolute, & per se est: Accidentis uero non absolute, & per se, seu in se est, sed solum in alio, ac proinde non absolute ens, sed entis ens est, atque ab Aristotele, & Philosophis dicitur entis ens, ut in suo conceptu, & nomine imbibitam habere ens, seu entitatis suæ inferioritatem denotetur: quippe quod in eis à conceptu dependeat, ac subinde ordinis ad absolute, & principale ens, quod est Substantia, abstrahere nequeat, atque ita quidem in entibus accidentalibus physice res habet, ut fuscè in cõtrouersis Dialecticæ, & Metaphysicæ docuimus, cursimque d. z. q. vi. cert. dicebamus. Inde uero accidentia, & proprietates metaphysicas, atque essentia reipia identificatas metaphysice loquendo entis accidentalis admodum, ut summum uideatur esse censenda: ut illa ens absolute, & simpliciter dicenda sit: quia Essentia sola metaphysice rei substantia hæc per se, & in se ens, & existens metaphysice est: reliqua uero accidentia, seu proprietates metaphysice ipsius, non aliter, quam entia illius, ac proinde entis entia, & secundum quid entia metaphysice habentur, & sunt: licet physice loquendo Substantia reipia sint, cui identificantur.

CERTAMEN II.

Prima, ac certa in hac questione conclusio statuitur.

1 His positis, prima Conclusio sit. Attributa diuina Essentiam metaphysicam Dei, seu rationem entis, uel (quod idem est) Substantia à se, in quo illa consistit, nullatenus formaliter metaphysice in se imbibunt: quare nec Essentia metaphysica Dei, diuina Attributa transcendit, neque hæc ab illa inadæquate solum distinguuntur, ut includens ab inclusio. Conclusio certa à nobis in titulo certaminis dicitur. Non absolute quidem, sed ex suppositione eorum, quæ satis probata uidentur, quæst. i. Nimirum, uera & realia Attributa in Deo dari, ac proinde

proinde, quorum obiectiui conceptus idem omnino formaliter, & metaphysice non sit, cum conceptu Essentia metaphysice Dei; vt non prescindentes, atque mutuo hæc omnia alia in aliis incidentes volebant. Eis enim opinionibus confutatis, atque opposita illis nostra sententia statuta, certa, & inuitabili (quantum assequi possum) consequenter præfens conclusio deducitur: vt ex subiectendis eius probationibus aperte constabit. Tum à Patrum testimonio, quæ eadem pro hac conclusione, atque pro illa militante sententia. Tum ex discursibus & rationibus, quæ sunt vtrique communes, licet ad hanc conclusionem probandam aliquali extensione habeant opus.

2. Ergo probatur ex Patribus, quos pro nobis qu. 1. recitabamus, & citabamus. Etenim docent Nyssen. ad Ablan. Quod non tres Dy. Et lib. poster. de Trinit. ad Eustach. Damasc. 1. de Fide cap. 4. Cyrill. 1. Theaur. citati. qu. 1. cert. 3. n. 3. & recitati d. 2. q. 2. cert. 3. n. 2. diuina nomina, quæ omnia attributalia esse censentur, non significare naturam, seu Substantiam, & Essentiam metaphysicam Dei, atqui si Attributa quæ eis nominibus significantur formaliter obiectiue Essentiam Dei, siue idemmet prædicatum entis à se, quod est metaphysice eius essentia, in se imberent, non possent non ea nomina illud prædicatum entis à se, siue Essentiam Dei significare: ergo Ens à se, siue Essentia metaphysica Dei in attributis formaliter, & ex parte obiecti metaphysice non imbibitur. Minor est. constans. Tum quia nomen, quod significat hominem, nequit non prædicata hominis essentialia, videlicet animal rationale significare; licet non adeo ex parte obiecti distincte, atque vocibus illis duabus, atque vniuersum nihil significari potest, quin eius essentia tota significetur, ac proinde ea omnia, quibus essentialiter constiter. Sicut enim sine eis omnibus esse in se, physice, & realiter nequit, ita neque eis omnibus non conceptis, & significatis potest intentionaliiter esse, aut significari.

3. Adde ita Patres Attributorum nomina non significare Dei Naturam, & Essentiam docuisse, vt eorum plures dixerit significare ea, quæ Natura, & Essentia Dei insunt, & circa illam, metaphysice nihilum, sunt. Ita Damascen. Nyssen. citato loco de Trinit. ad Eustach. Patresque plures citati d. 2. quæst. 2. certam. 3. num. 2. nupteque citatus Cyrill. 1. Theaur. vbi post medium ait: Attributa Diuina accidentia Naturæ, & Essentia Dei esse censenda: siquæ à nobis necessariò concipi, vt recitabamus quæst. 1. certam. 3. num. 3. ex quibus ea instruitur ratio: Attributa diuina secundum suam totam formalitatem Substantia, Naturæ, & Essentia diuina, siue prædicatum entis à se, insunt ac veluti accidentia circumstant, & afficiunt: atqui Essentia, & Natura metaphysica diuina, seu prædicatum entis à se, nequit adhuc concipi sibi inhærens, siquæ circumstant, atque velut accidens afficiens: ergo prædicatum entis à se, seu Essentia diuina formaliter in Essentia Attributorum non est. Patet consequentia: quia, si essentialiter vnumquodque Attributum imberet in formalitate, & conceptu obiectiuo suo prædicatum entis à se, in quo Dei Essentia metaphysica consistit, nequirit è conceptu, & Essentia sua inesse Essentia Attributorum vltim, vt eius accidens, quia Essentia, seu illud ens à se, sibi ipsi inesset, atque sui ipsius accidens foret. Nec valet inesse inadæquate Attributa Essentia, vt eius accidentia metaphysica, secundum formalitatem, quam supra prædicatum entis à se dicunt Nam de ea formalitate redibit quæstio, an imberet prædicatum illud entis à se, vt mox persequar: Insuper: quod inadæquate solum tale est, non dicitur absolute tale. Cum tamen à Patribus accidentia Essentia, Attributa omnia absolute dicantur.

4. A ratione probatur Conclusio primò, quia Attributa Essentia metaphysice Dei sunt proprietates metaphysice illius possessiue: ergo omnino distinctæ ab illa sunt in conceptu suo formali metaphysico, nihil enim sui ipsius possessiue, neque inadæquate esse potest. Patet: Nam ego meus possessiue, adhuc inadæquate esse non possum, sed mihi nihil aliud sum quam ego. Secundo: si Attributa v. g. voluntas, seu Amor inadæquate solum distinguantur ab Essentia metaphysica Dei, quia Essentiam formaliter, & essentialiter metaphysice imbibunt, & aliquid addunt; inquirò: an sint Attributa, & proprietates Essentia præcise secundum quod addunt, vel etiam se-
Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus I.

cundum Essentiam, qua essentialiter constant? Si Primò: ergo Attributa; qua talia Essentiam in se formaliter non imbibunt. Si secundum: ergo non minus participat Essentia rationem Attributi, & proprietatis respectu sui, quam partialis formalitas, quam addit Attributum; & proprietates Dei supra Essentiam, quam formaliter metaphysice in sua essentia claudit: quod repugnat, etiam concipi. Nam proprietates id cuius est proprietates in obliquo, & tanquam terminum sui solummodo dicere potest; non in recto, vt necessariò dici deberet, si proprietates adhuc partialiter esset.

5. Terziò: vel illa formalitas, quam supra imbibitam Essentiam Dei attributum addit, imbibit etiam Essentiam formaliter, vel secus. Si non imbibit, ergo non est opus vt prædicatum entis, seu substantia à se, in quo stat Essentia Dei metaphysica, transcendat omnem diuinam formalitatem: cum illa formalitas diuina sit sine ea transcendentia. Si ea etiam illud ens à se formaliter, & essentialiter metaphysice imbibit: inquiram: an illud quod supra ens à se addere metaphysice debet (ne solus Essentia metaphysice, seu entis à se conceptus in attributis diuinis alteratur,) ac proinde nec inadæquate ab essentia differant, sed omnino cum illa ex parte obiecti, & metaphysice identificentur (contra hæcenus probatum & in hac quæstione suppositum) Essentiam metaphysicam Dei rursus imbibat? & rogabo de addito supra Essentiam id ipsum, quod de primò, atque rogationibus, & responsionibus in infinitum abibimus; ni tandem ad aliquam formalitatem diuinam deuenias, de qua, vt contendimus, non imbibere in se metaphysice prædicatum entis à se, siue Essentiam metaphysicam Dei fatearis: ac proinde neque hoc omnia diuina prædicata transcendere: sicut in simili de entis in suas differentias transcendentia, & transmeatione in logicis, & metaphysicis conuertiis, eius assertores in similem infinitam progressionem agebamus.

6. Ex hac vera ratione facile præcipui fundamenti aduertia fenescita, non solum solutio se se dat, sed ex instantia facta, omnimoda etiam euerio. Constat enim ex illa, licet Attributa diuina ab alio physice, & vere non sint, tamen non ita esse ens à se sicut est ens, seu substantia à se, in quo Dei essentia metaphysica stat: sed esse entia à se metaphysica accidentalia essentia, & entia illi à se primariò tali, in quo illa formaliter consistit. (Quemadmodum accidentia physica, quibuscum attributa respectu Naturæ, & Essentia diuina, Patres supra metaphysice componebant) licet entia sint, nominèque cum ente, quod in substantia est conueniant, in ratione autem formali non item. Iuxta quem theologizandi modum facile aliis responderetur argumentis. Nam sicut entia vera à se, vnumquodque in suo genere, attributa omnia sunt, ita, & bonitatem, & perfectionem, & infinitatem, in suo quæque genere, habent, ac non esse nihil apparet. Verum doctrina obseruationis illius, atque hæc inde petita obiectio, non solutio, suam patitur difficultatem. Nam quidquid entis vere in Deo est, Substantia est, & esse æquale: neque enim vere in Deo est, seu perfectius, & principalius, atque aliud minus principale: quemadmodum in esse substantia, & accidentis physice inuenitur: ibi enim vera est, siue actualis, siue apirudinalis dependentia in essendo, vt, non nisi in substantia esse accidens possit, vel saltem suâ naturâ petat: ac proinde entis ens, & minus principale ens merito dicitur; Hæc autem in diuinis prædicatis omnino absunt: quare, licet ea in Substantia, & Essentia Dei inhærentia, velut accidentia physica metaphysice concipiamus; non tamen accidentia vera substantia diuina, ipsique vt talia, inesse possumus magis iudicare, quam vel Angelum puerum esse formosum, vel Patrum æternum canum, & caluum senem: quia eos horum ad instar concipimus: quare altiore, verosimilioremque doctrinam requirunt earum obiectio solutiones.

ORTEGA
L. J. PARI
D. V. I. A

CERTAMEN III.

Attributa diuina rationem entis à se substantiui metaphysici in se formaliter, & essentialiter non claudunt: quare neque Ens à se, seu Essentia diuina metaphysica transcendit Attributa, neque hæc inadæquatè solùm ab illa distinguuntur, sed omnino adæquatè.

DAta proximè ratio satis ostendit, quàm difficultè communis, ac certa opinio de non transcendenti Essentiâ metaphysicâ Dei; seu entis à se per Attributa omnia, ac proinde hæc adæquatè ab Essentiâ metaphysicâ Dei ex parte obiecti metaphysicè differre, possit defendi: sed in nostris principiis iactis controuersis de Trinit. d. 6. qu. 1. nullo negotio defenditur. Censio igitur ex ibi dictis, Attributa diuina prædicatum entis à se substantiui metaphysici in suo essentiali, & formali conceptu non inuoluerit: ac proinde neque Essentiâ Dei metaphysicam in se claudere, sed adæquatè ab illa ex parte obiecti differre: sicut eadem qu. 6. de prædicatis personalibus rationem entis substantiui metaphysici in suo formali obiectiuo, & metaphysico conceptu non includi ostendebamus. Aduersabitur fortasse conclusio iis omnibus, qui ea qu. 6. oppositum de personalibus prædicatis censebant; nisi fortè, quia præcipuè difficultates, quæ contra nostram in personalibus conclusionem similem, vel potius eandem, militant, locum contra eandem de Attributis non habent, vt eas perpendenti facillè patebit, nobis in præsentiarum aduersari nolint. Patros vero eos omnes habere meritò æstimabitur, qui in prædicatis personalibus, vbi adeò difficilior est, eandem conclusionem tuerentur, quos omnes ibi cert. 1. recensimus, poriorumque, & maiorem Theologorum partem esse monstrauimus.

2 Probatum conclusio ab autoritate Patrum, qui eam impugnant. Et Primò quidem ex testimoniis Anselmi, & Bernardi recitatis d. 2. qu. 1. cert. 2. n. 5. vbi ille cap. 14. monolog. & cap. 16. e cuius verbis illa extrema repero, *illa summa Essentia nullo modo se est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod est: Quam sententiam scripsit Anselmus, vt ostenderet, quæcumque de Deo etiam in abstracto prædicantur, essentialiter prædicari. Et quamquam de essentiali prædicatione physica, recitata ratio probet, salueturque torus Anselmi discursus, magis tamen dignè de subtilissimi, ac Theologi metaphysici, si quis alius, Patris mente cogitamus, si eius rationem de prædicatione essentiali metaphysica eorum omnium, quæ de Deo dicuntur, sequamur: Cum autem subtilissimus Pater metaphysicè Iustitiam à Misericordia, Scientiam à Voluntate, & hæc ab Essentiâ, seu prædicato entis, & essendi à se, sæpè diuiserit, in hæc nostra sententia tantummodo eius discursus de metaphysica etiam prædicatione diuinorum omnium de Deo concludit. Id quod ita ostendo. Quia, cum iuxta illam in Deo tantum sit vnicum, etiam metaphysicè esse, seu prædicatum entis à se: atque, vt de Deo quodcumque prædicatum enuncietur, necessariò copula, est, intercedat: qua esse, & entitas metaphysica Dei, quæ eius essentia est, significatur, quæque prædicata, & Attributa omnia diuina iure sententis physica cum esse, seu Essentiâ metaphysicâ Dei, solummodo sunt; nullum prædicatum diuinum enuntiarî potest, dicere esse in Deo, seu esse Deum, etiam metaphysicè: quin esse à se, seu ens à se (quod tota Dei Essentia est) de Deo prædicetur: ac proinde omnia quæ de Deo prædicantur, licet omnino ex parte obiecti diuisa ab Essentiâ sint, nequeunt de Deo prædicari, quia eius Essentia metaphysica, metaphysicè etiam loquendo prædicatur: quare omnia, quæ de Deo prædicantur, essentialiter, etiam metaphysicè, nec solum physice*

prædicantur. Ita enim est suum esse (vt apertiori paraphrasi eisdem ferè verbis Anselmi eius mentem profundam, edisseram) vt idem esse sit ipsum, secundum quemvis modum, & considerationem, seu conceptum obiectiuum attributalem secundum quem esse concipiatur: quia quæcumque essentialiter sunt, & non ab alio, hoc totum, & solum esse habent, quod est, Essentia metaphysica Dei.

3 Bernardus autem 5. de Consideratione ad Eugen. aiebat: *Si magnum, si sapientem, vel quid tale de Deo dixeris in hoc verbo instauratur: Quod est esse. Nempe hoc est esse, quod hæc omnia esse. Si centum talia addas, non recessisti ab esse: si ea dixeris nihil addidisti, si non dixeris, nihil minuisisti, qui etiam locus, licet de esse, & Essentiâ physica Dei possit, vt cumque explicari. At si eius verba strictè, & proprie interpretemur metaphysicè loqui Bernardum, inde apparet, quod de nominum, & verbo, tum significatis, quæ obiectiuorum conceptuum sunt, aperte loquatur: & tamen omnium attributorum nominum significata in hoc verbo *Quod est*, ait instaurari, atque eis nominibus additis non recedi ab esse, id est à significato eius vocis, nihilque addi, vel minui conceptui, quem de Deo habemus. Hæc inquam, de conceptibus, formalitatibusque diuinis, vt eis nominibus significantur, loqui Bernardum suadent. Cum autem certum ex dictis sit voce *Essendi à se*, ea omnia non significari, restat omnia instaurari in illa: quia metaphysicè etiam loquendo, quod de Deo, eiusque Essentiâ est, esse idem ipsum est, reliquorum diuinorum esse: ac proinde esse Deum, est esse omnia Attributa: quare si addantur, vel taceantur, nihil substantiuum metaphysicè loquendo additur, vel minuitur, quia nullum esse diuinum negatur, si simul affirmetur. *Quod est esse*: in quo ratio essendi, atque entis à se (quæ vnica formaliter in Deo est) continetur, & à qua recedere non possumus, cum cum Magnum, Beatum, & Sapientem esse dicimus: cum, copulâ verbi substantiuum, quo necessariò ea de Deo prædicare, ac dicere debemus, ipsum idem esse significetur, vt nuper in Anselmi interpretatione dicebamus.*

4 Secundo probatur autoritate aliorum Patrum, Essentiam metaphysicam Dei in hoc quod est esse à se, seu in prædicato entis à se absolute constituentium, quorum verba dedimus d. 2. qu. 2. certam. 2. a. 6. Etenim, si esse à se commune prædicatum, & transcendens metaphysicè Attributa omnia foret, malè in eo absolute, & sine vlla distinctione, tam multiplicis prædicati entis à se, quod metaphysicè in Deo inuenitur, Essentia, & natura Dei metaphysica ab eis Patribus collocaretur: cum adhuc inexplicatum maneret, quodnam ex pluribus illis prædicatis essendi, seu entis à se, quæ in Deo pro pluralitate, & multiplicitate prædicatorum metaphysicorum Dei metaphysicè inueniuntur, Essentia metaphysica Dei foret, atque insuper, explicata diuersitate illorum omnium prædicatorum etiam à se diuinorum (quod si non omnino inexplicabile est, vt reor, valdè tamen explicatu difficile, vt constat ex dictis cert. 2. n. 6. fin. atque ex dicendis cert. 4. num. magis constabit) illud prædicatum entis, seu essendi à se cum propriis notis ex quibus cum aliis prædicatis entis à se attributalibus confundi non possit, oporteret ab eis Patribus explicari; ne res dubia adhuc, & sub lice, vt aiunt, post definitum tantorum Patrum sententiam, contra sententiâ, & tantorum iudicium autoritatem, & decentiam remaneret. Cum ergo ea omnia non præstiterint, censendum sanè est eos nihil debitum omisisse: quia vnum tantum prædicatum entis, seu essendi à se in Deo recognouerunt, atque in eo proinde Essentiam Dei collocarunt; quin opus haberent illud à similibus Attributorum prædicatis, quæ in eis non recognoscerebant, neque admitterebant, distinguere, atque notis specialibus designare: quod ipsum argumentum ab autoritate eorundem tantorumque Theologorum consistit, qui Essentiam metaphysicam Dei in prædicato entis à se absolute, & sine vlla distinctione entium diuinorum à se attributalium constitunt, dum de ea expressius, subtilius, magisque scholasticè, & Theologicè agunt: vt nostram hæc conclusionem, non sentire solùm, sed tanquam indubirabilem sine disputatione, & examine supponere videantur.

CERTAM

CERTAMEN IV.

Rationibus communionibus eadem conclusio roboratur.

1 **F**irmiora adhuc sunt pro eadem conclusione à ratione fundamenta. Probatum Primò. Quia prædicatum entis realis substantiæ metaphysicæ, quod est supremum genus in prædicamento Substantiæ, vel Accidentis non transcendit, aut imbitur in differentiis, ut certa mihi, multique Philosophis longe probabilior opinio fert, atque in controuersis metaphysicis, & logicis ostendi: ergo neque prædicatum entis realis substantiæ, seu essendi à se, quod est Essentia imbitur formaliter in Attributis Dei. Probatum consequentia: quia prædicata differentia supra generis entis, siue substantiæ, siue accidentis, non minus sunt prædicata realia, & vera in suo genere, siue sub suo genere vniuerso quodque, quam sint prædicata vera, & realia, in suo etiam genere. Attributa dicuntur: ergo, si in illis prædicatis, & formalitatibus veritas, & realitas, seu non repugnantia existendi, & essendi saluatur sufficienter, quin in se prædicatum essendi, seu entis substantiæ metaphysicæ, sui generis, & ordinis formaliter imbitur; realitas etiam, ac non repugnantia existendi, seu essendi sui generis, & ordinis in attributis diuinis saluabitur, quin ratio, seu formalitas essendi à se in ipsis formaliter metaphysicè includatur: sed, si entis illis satis est ut realia prædicata, & entia adiectiua sint, ac non chimerica, & repugnantia, quod entis, seu esse metaphysico sui generis physice identificantur, ita etiam, & his ut entia realia adiectiua sint, physica eorum identitas cum esse, seu ente substantiæ sui generis satis erit.

2 Præfata argumenta à paritate desumpta ex rationibus à priori, quarum vnâ in vtrouque præmissimus, suam aperit efficaciam exercent. Probatum à priori Conclusio. Implicat in re vna plures physicas, & veras existencias dari: ergo vnica solum in quavis re datur existentiæ physica: est de se, & ex terminis patens consequentia. Pergo inde: ergo implicat dari in re physice vna, plura prædicata vera entis substantiæ metaphysicæ. Hanc consequentiam probò. Vnica sola existentiæ physica ita necessario datur, ut plus vna in re physice eadem repugnat: ergo vnica solum potentia logica existendi vera, ac non ficta datur, ita ut plus vna in illa re implicet: atqui prædicatum reale essendi, seu entis substantiæ metaphysicæ nihil est aliud, quam existentiæ vera, ac non fictæ prædicatum siue exercit, siue possibiliter, quod, in statu hoc possibilitatis præcipientis ab exercitio, & actualitate essendi, est potentia logica ad seipsam in statu actualitatis existendi, siue ordo formalis logicus metaphysicus ad seipsam exercitum, ut constat ex cert. 1. num. 2. ergo vnum solum esse, aut ens metaphysicum substantium in re physice eadem, & vna est, ita ut repugnet esse plura, ut consequentia illa inferebatur.

3 Dices: physica illam vnâ existentiâ totius physice illius entitatis reipsa esse, nec magis vnus prædicati realis metaphysicæ, quam alterius entitatis eiusdem: ac proinde in quouis eorum esse potentiam logicam ad existendum. Vide quid dices. Inde enim probabis animal metaphysicè, præcisè, & formaliter sumptum tam esse metaphysicè rationale formaliter & metaphysicè sumptum, quam rationale. Si quidem esse principium rationandi homini, seu Petro physice sumpto, & reipsa vni entitatis ita physice conuenit, ut non magis vni eius formalitati, & prædicato, quam alteri physice conueniat: Imò soli conuenit eorum omnium, quæ physice idem, atque intellectus vna entitas sunt, competit: quare physice loquendo non magis vni, quam alteri competit esse rationandi principium, imò nulli seorsim competit, quia physice vnum prædicatum eorum, ac sine alio adhuc præcise, non est, neque possibilis: sicuti neque vnum sine alio, adhuc præcise existit, existere potest. Quare ita hæc solutio metaphysicam, & logicam omnem prædicatorum, ac prædicamentorum coordinationem prorsus euerit: cum idem de omnibus metaphysicis præ-

dicatis argumentum, quod in rationalis prædicato efformabamus, instrui æquo robore ex tua solutione possit, ut, vel leuiter consideranti, patebit.

4 Licet ergo prædicata omnia tam potentiarum, quam existentie indiuisibiliter rei eidem physice conueniant, nec magis vni eius prædicato, quam altis, imò nulli ab aliis præcise physice conueniant, conuenire queat: ea tamen mente diuidimus, atque in entitate quavis existentiam vnâ, quæ communissimam prædicatum rebus omnibus est, consideramus, & abstrahimus, eamque, ut exercitam existentiam, seu ens actuale concipimus esse, ac nominamus, in statu vero, quo ab actuali exercitio præcendit ens possibile, siue potentiam logicam rei illius ad existendum, quo solo conceptu res tota illa physice vna, omniâque eius prædicata existunt in statu actualis exercitij existendi: quia existentia illa tam actualis, quam possibilis, seu potentia logica existendi, quæ est entis substantiæ metaphysicæ, siue actualis, siue possibilis, est reliquis omnibus eius prædicatis forma metaphysica, qua actualiter existit, vel possibiliter concipiuntur: & metaphysicè indicantur iure identitatis cum illa: licet formaliter metaphysicè, neque existentia ipsa actualis, vel possibilis, seu Ens substantiarum aliquid ex eis prædicatis formaliter sit, sed alia in entitate eadem diuersa munia habeant, obæantque formaliter, & è conceptu suo metaphysico, vnumquodque suum: sique per munia diuersa magis, minusque communia, genus illud entis substantiæ metaphysicæ in communiores, minusque communes inferiores, & inferiores vsque ad infinitam, atque indiuiduam immediatam, metaphysicè, & logicè contrahunt, atque feriem coordinant prædicamentalem.

5 Ex quibus aperte constat: quo pacto, licet prædicata reliqua ab ente substantiæ metaphysico, siue existentia actuali, vel possibili, seu potentia logica existendi, neque existentia in altero statu, neque potentia logica seu ordo logicus ad existentiam, quare neque ens reale substantiarum metaphysicæ sint, tamen realia prædicata, non ficta & repugnantia physice sint, sed existere & conceptu suo possunt in statu possibilitatis, atque physice existant in statu actualitatis existentie, siue actu existendi: ac proinde entia realia metaphysicæ, adiectiua tamen, merito nuncupentur. Sicut enim subiectam quodvis physicum, licet in se, siuâque entitate calorem, frigus, albedinem, quamuisve aliam formam physice non imbibat, si tamen ei, vnionis physice beneficio iungatur, merito physice ab ea adiectiue denominatur calidum, vel frigidum, vel album: sic & prædicata alia ab ente reali substantiæ metaphysico, seu existentia actuali: vel possibili iure identitatis cum illo, que intima (ut sic loquar) cum eo coniunctio, siue penetratio est, ens reale, siue possibile, siue actuale metaphysicum adiectiue est, ac merito nominatur.

6 Quod ita ostendo, ac tandem conclusionem breuiter probò. Implicat aliquid physice idemificari cum existentia, seu ente substantiæ metaphysico, quin existat: aut posse idemificari, quin possit existere physice: atqui prædicata alia ab ente substantiæ metaphysico, idemificantur cum existentia, seu ente substantiæ metaphysico, est formaliter metaphysicè entia substantiæ metaphysicæ non sint: ergo eo præcise iure identitatis, siue actualis, siue possibilis, cum illa poterunt physice existere, siue actualiter, siue possibiliter: ac proinde alius conceptus existentie formalis seu entis substantiæ metaphysicæ in illis imbitur formaliter omnino superfluet: concludo ergo reliqua prædicata rerum, præter prædicatum entis substantiæ metaphysicæ, seu existentie in vtrouque statu, siue actualitatis, siue possibilitatis: habere potentiam ad existendum, non quidem logicam, & quæ ab actu existendi solo statu differat, non autem adiectiua formalitate, sed ad instar potentie, quam subiectum ad formam physicam habet: ac proinde esse entia realia adiectiua metaphysicæ.

ORTEGA
IN A. PARI
D. V. 16

CERTAMEN V.

Specialius Theologicis rationibus eadem conclusio stabilitur.

1. Hæc hæcenus efformata argumenta vniuersim probant in nullo alio rerum prædicato, siue attributali, siue differentiali prædicatum existentie, siue entis substantiui metaphysici formaliter reperiri. Verum, licet hæc in creatis aliis rem non conuincerent, in Deo tamen specialiores suppetunt rationes. Probat igitur: ens substantiui metaphysici diuinum in attributis formaliter non imbibitur, quare neque illa transcendere. Primò: quia in prædicatis personalibus non datur ratio, & formalitas entis realis substantiui metaphysici, vt latè ostendi d. e. de Trinit. q. 1. nota: ergo neque in communibus attributalibus: imò in his multo minus. Patet consequentia: quia in illis obitate videntur rationes verisimiliter efficaciores: cum personalia, sint rationes distinguendi realiter Personas: quod entitatem metaphysicam realem, seu quod idem est, ens reale substantiui metaphysici in ipsis formaliter imbibitur, videri necessario requiritur; & tamen ex identitate physica cum esse, seu ente substantiui metaphysico essentia, satis habent realitatis, vt realis distinctionis Personarum, seu distinguendi realiter Personas munus habeant, quin prædicatum entis realis substantiui metaphysici, seu essendi formaliter in se imbibant, vt ibi ostendimus: ergo potiori iure prædicata attributalia, in quibus reale illud munus non est, sed summa identitas adæquata cum essentia, eiusmodi prædicatum essendi, seu entis realis metaphysici substantiui in se formaliter metaphysicè non claudunt. Sed vt entia realia absolute dicantur illa identitate physica cum esse, seu ente substantiui, quod est Essentia metaphysica Dei, satis habebunt, à quo illius identitatis iure entia realia adiectiua metaphysica, & sint, & dicantur.

2. Probat igitur secundò à priori: quia in diuinis nequit dari aliqua formalitas, seu prædicatum compactum metaphysicè ex prædicatis partialibus homogeneis metaphysicè: atqui, si daretur plura prædicata entis à se substantiui metaphysici in Deo pro Attributorum pluralitate metaphysica, daretur ens diuinum metaphysicè à se: compactum ex pluribus prædicatis homogeneis metaphysicè partialibus: siquidem ens diuinum, seu esse à se totale Dei metaphysicè constaretur ex ente à se Essentia, & entibus à se reliquorum Attributorum, vt patet: ergo ens à se substantiui metaphysici vnicum in Essentia est, non autem est plura in Deo metaphysicè imbibitur in Attributis formaliter, scilicet in vnoquoque suo, Maior probata sæpe à nobis est controuers. de Trinit. que hic probatur q. vlt. fultus. Ex eo quod ens, seu formalitati cuius ex genere suo infinita (quemadmodum diuina omnia sunt) nihil generis illius addi potest. Confirmatur: quia vel prædicato entis, seu essendi à se metaphysico Dei, in quo eius Essentia metaphysica consistit secundum se, & intrinsecè considerato, deficit aliquid entis, seu essendi à se, vel nihil; si nihil: ergo nihil entis, seu essendi à se est in aliis diuinis prædicatis. Patet: quidquid enim entis, seu essendi à se in eis esset, quod non esset in illo, id ei aperte deesset. Si autem aliquid deest entis, seu essendi à se, quod est in Attributis: ergo non est summum ens, seu summum esse, neque essentia summa Essentia Dei metaphysica: quandoquidem coniunctum illud ex esse, seu ente à se essentiali, & entibus à se attributalibus, maius quid esse, seu esse à se foret, quare neque esset illud ens à se summum, neque ex genere suo infinitum: quia neque infinitum in suo genere per denegationem termini etiam extrinseci, quomodo infinitum quoduis è suo genere, & conceptu essentiali esse debet, vt persequar fusè q. vlt. citata.

3. Dices prædicatum entis, seu essendi à se essentiali in genere suo infinitum per denegationem termini etiam extrinseci, summumque esse: quare neque ei in suo genere aliquid entis, seu essendi à se addi posse. Cæterum

rationem entis à se attributalem esse alterius ordinis, & generis, scilicet attributalis, in quo ens à se essentiali diuinum non est: ac proinde, quod ad ipsum non spectat magis, quam conceptus, & prædicata alia attributalia, v. g. Voluntatis, Sapientia, Omnipotentia: quæ omnium sententia formaliter in se imbibitur metaphysicè, prædicatum entis à se minime habet, quin eorum defectus præcisius defectum positium, vel priuatiuum prædicato illi essentiali entis, seu essendi à se inducat, tollatur in suo genere & ordine summum, vel infinitum, etiam per termini extrinseci denegationem. Contra tamen est: quia, licet in formalitatibus aliis attributalibus Voluntatis, Sapientia, &c. saluetur eorum defectum præcisiuum solum esse prædicato entis à se essentiali, quia exploratà omnium sententia formalitates alterius generis, & ordinis illæ sunt; At in prædicatis entis à se attributalis, quæ aduersarij admittunt, diuersitas formalis, & metaphysica à prædicato entis à se essentiali, neque assignatur ab aduersariis, neque non chimærica aliqua, & per rationem meram, assignari vquam poterit, vt ostendebamus certam. 2. sine. Vnde eorum defectus in prædicato entis à se essentiali priuatiuus erit saltem, nec solum præcisiuus. Deinde plura prædicata entis à se primò diuersa è genere, & formali conceptu suo repugnant ostendimus, probatione nostræ Conclusionis tertia. Inde Tertio impugnatio illa secunda, quod ens à se essentiali summum non sit, sed minus longè, quàm coniunctum ex omni ente à se diuino essentiali, & attributali, omnino conitans persistit.

4. Dices, Rationem entis à se, radicem esse metaphysicam omnium attributorum, ac proinde & prædicatum entis à se, quæ in illis continentur: vnde non posse non prædicata omnia entis à se in Attributis inclusa metaphysicè eminenter continere, vnde rursus coniunctum ex entibus à se essentiali, & attributali nullquam maius aliquid est metaphysicè prædicato solo entis à se essentiali, in quo cætera prædicata entis à se attributalia eminentiori formalitate continentur. Quemadmodum nec si Deo creata omnia entia, quæ in Deo eminenter continentur, adiungas, maius quid, ac perfectius, quàm Deum solum compingens, vt merito proinde sanctus Franciscus de Assis, in sua contemplatione diuino illustratus lumine, & accensus diceret: *Deus meus, & omnia*. Et Regius Platæ Psalm. *Quid mihi à se est in terra*. Atque exemplo à se ipsa, quam versamus, petito. Sicut Attributa reliqua, quia eorum radix metaphysica ens à se essentiali est, cum illo coniuncta, maius quid metaphysicè, quàm solum ens à se essentiali minime efficiunt. Sed vero continentia hæc eminentialis metaphysica prædicatorum omnium attributalium, secundum omnes formalitates suas, ac proinde secundum prædicata entis à se attributalibus, in prædicato entis à se essentiali, quod eorum radix metaphysica est non est continentia eminentialis causa, & causalitatis vera, sed ficta, atque illationis metaphysica, seu logicæ solum vt certam. 2. sine dicebamus: Quemadmodum continentia metaphysica admiratiui in prædicato rationalis, atque risibilis, etiam in rationali hominis: quare, licet ex continentia eminentialis effectum in vera physice radice, & causa effectum rectè inferretur coniunctum ex effectibus, & causa maius quid, sola causa reuera non præstare: non statim in coniuncto ex radice, & causa non physica, & vera, sed ficta. (Cuiusmodi essentiali ens à se respectu Attributorum est) & eis, quorum radix metaphysica, & illarum solum est, inferretur.

5. Verum, neque id in causa, etiam adæquata, & effectibus verè, ac physice talibus inferri ostendimus d. i. q. 1. cert. 3. n. 4. Contra Murcianos Recentiores: quare ex ea, & effectibus aliquid maius ipsa extensius, quare & absolute maius constabit. Vnde constat exemplo illo potius deduci coniunctum ex ente à se essentiali, & entibus aliis à se attributalibus, maius quid absolute ente à se essentiali metaphysicè resultare: ac proinde ens à se essentiali, summum in genere entis, siue in suo genere, atque è conceptu suo non esse: & si ens à se essentiali vera, ac physica radix, & causa entium à se attributalium esse daretur, vt paritatis illatio ab vno ad aliud foret. Sed nec magis præstat exemplum secundum. Etenim attributales formalitates, si ab eis entis à se substantiui

metaphysici secundum rationem, & formalitatem secludas, ut nostra sententia fecerit, alterius generis, & ordinis formaliter, & metaphysice sunt, quam ens à se: quare, licet coniunctum ex ente à se, atque eis formalitibus, plus prædicatum, & formalitatem contineret metaphysicè, quam prædicatum ens à se coerecet, non tamen plus in genere ens seu essendi à se: quare neque hinc in genere suo, earum accessu aliquid adiungit, neque earum recessu aliquid in illo deficit: ac proinde ens illud, siue esse à se, in quo Essentia Dei à nobis metaphysicè constituitur summum, atque è genere suo infinitum esse facile monstratur. Imo, neque in illo coniuncto aliquid absolute maius, quam in prædicato ens, seu essendi à se, adhuc in quouis genere, esse dicendum est. Cum enim solo prædicato illo essendi, seu ens à se substantiui formaliter metaphysicè attributa adiectiue entia metaphysica sunt, ex solo illo, sunt etiam adiectiue magna, seu habent magnitudinem, sicuti, & entitatem.

6. Tertiò nostra sententia probatur: quia, si sunt plura prædicata ens, seu essendi à se attributalia; inquiri: an sint in ratione ens, seu essendi à se aequalia cum ens, seu essendi à se prædicato essentia: an inæqualia? si primum: ergo sunt generis omnino eiusdem cum prædicato ens, seu essendi à se essentiali, ac proinde hoc, nec summum, nec infinitum è suo genere est, per denegationem termini, etiam extrinseci, ut diuinum prædicatum quodvis deest, inæqualia autem in ea ratione asseri nequeunt. Primò: quia neque è conceptu suo indiuisibili est cogitabile, quomodo prædicatum ens à se, alio prædicato ens à se formaliter indiuisibiliter maius, vel minus sit: maxime, cum in ens attributalis veri, ac non chimerici formalitate imbibita non sit dependentia ab ente à se essentiali, quod illius radix metaphysica est, sicut in ente accidentaliter physico, à substantiali physico ente, ut dicebamus cert. 2. sine. Sed neque excogitabile est, quomodo ens à se attributale, ente à se essentiali per additionem, aut diminutionem supra conceptum, vel infra conceptum ipsius, maius esse possit, aut minus. Tum quia vnumquodque prædicatum diuinum à conceptu suo indiuisibili, est totum, quod formaliter est, esseque potest. Tum quia inde fieret: ens à se attributale maius quid formaliter, & metaphysicè ente à se essentiali fore: cum supra rationem ens à se adderet formalitatem aliam, quam essentialiter, vnumquodque Attributum importat, siue consuetam, siue inconstitutam cum illo metaphysicè: quam neutro modo ens à se essentialiter in se metaphysicè coerecet. Hoc autem concedere non sane metaphysicè, sed velle prolixius mentis esset.

7. Secundo probatur: Entia à se attributalia non posse esse prædicato ens à se inæqualia: quia ut inæqualia sint, debent ipso esse minor vel maiora in ratione ens à se, ut patet. Nam quicquid alteri inæquale est, maius, vel minus illo necessario est. Elige quod ex his malis. Si maius ente essentiali à se asseras, delicta tua Metaphysica, ut nuper dicebam. Si minus, ens à se attributale diuinum, ac proinde ens à se non est, cum in genere ens à se summum non sit. Denique, in diuinis prædicatis eiusdem ordinis, imò neque absolute, maiortas, vel minoritas admitti nequit. Nec refert hoc argumentum in ente à se essentiali, & attributis, licet formaliter entia à se substantiua formaliter non sint, lo cum habere. Ex eo enim præcisè, quod formalitates, & prædicata ex parte obiecti diuersa ab ente à se substantiui metaphysico sunt, fieri potest eorum, cum hoc quoad æqualitatem, vel inæqualitatem, comparatio: atque præfacta nuper argumenta. Cæterum non premit instantia, neque factò argumento satisfacti. Quia, est comparatio inter formalitates nullo genere, neque supremo, conuenientes, sed ex suo conceptu omnino metaphysicè etiam diuersas (cuiusmodi sunt omnia prædicata diuina (quoad æqualitatem, vel inæqualitatem admittentur, summum, atque infinitum per denegationem termini, etiam extrinseci non esse, non euincetur; sicuti contra aduersarios nostra argumenta euincant. Secundo: inter Attributa, & prædicatum ens à se substantiui metaphysici (quod solius Essentia, vel potius sola Essentia metaphysica Dei est) quoad æqualitatem, vel inæqualitatem, locum non habent. Quia Attributa omnia sola magnitudine eadem metaphysica essentia, solaque eius bonitate, & perfectione bona perfe-

cta, magnaque adiectiue sunt, ut disp. 4. constabit. Vbi an, & quomodo vnum Attributum Dei perfectius alio esse possit? examinabimus.

8. Inde ad argumenta facta cert. 1. n. 1. pro transcendentia ens à se per omnia diuina Attributa facilis sese dat solutio. Constat enim: cum esse, seu ens à se substantiui metaphysicè non sint, neque esse à se, neque ab alio formaliter, & de suo conceptu: quia ratio tam essendi à se positiuè dicit essentialiter rationem essendi, & quatenus etiam explicatur per negationem essendi ab alio, si Deo dignè explicanda est, esse etiam, seu ens positiuum includit, neque enim negatio essendi ab alio, Deo digna est negatio, ex defectu ens, seu essendi in se (quo pacto chimæra; etiam physice ab alio non est) sed è sui esse, seu ente, quod est, eminentia. Nec statim inferitur, quod Attributa secundum se, & formaliter sumpta, si à se non sunt, ab alio esse debeant. Nam ratio causæ dicit essentialiter influere esse in id, cuius causæ propriè est, ut offendimus disp. 3. de Trinit. q. 3. cert. vii. ac proinde, quod in se formaliter non est, seu esse non habet intrinsicè, neque esse potest; causalari, seu esse ab alio nequit. Qua solùm ratione defendi solide ca q. 3. offendimus Personis producentes in diuinis causis propriè procedentium non esse: quia hæc personalitates, ad quas processio, quatenus productio & influxus est, ac non communicatio esse, seu ens metaphysicum formaliter substantiuum non sunt, sed totum earum esse, & tota entis ratio est esse, & ens substantiuum metaphysicum essentia, à quibus & exire, & esse, seu esse ens adiectiuum metaphysicè habent: quod quidem Esse in Personis, aut personalitates non influunt, aut producitur à Personis producentibus, sed solùm communicatur.

9. Itaque Attributa formaliter sumpta, nec sunt à se, neque sunt ab alio entia substantiua metaphysicè: quia ad vtrumuis essentialiter requiritur esse: licet metaphysicè adiectiue à se sint entia, & sint à se: quia habent esse, & ens essentia, quod à se est. Vnde constat esse entia à se realia metaphysica diuina adiectiue: ac proinde non esse nihil adiectiue, seu absolute repugnans, & chimericum; licet sint nihil substantiue metaphysicum, seu non sint entia metaphysica substantiua. Vnde etiam constat neque esse bonitates, seu perfectiones, licet bona perfectaque in suo quaque genere. De Infinitate Attributi cuiuslibet eodem modo censendum puro. Infinitas enim magnitudo est, quam vnicam essentia suspicor esse. Sed de his atque aliis Attributis, quæ, vel negationem sonant, vel per illam tandem à nobis pro hoc statu explicantur, an transcendant, licet re vera positiuè prædicata Dei sint, ut Simplicitas, Immenitas, Aternitas, Inuisibilitas, opportunis propria cuiusque sede (ubi cuiusque essentia, & formalitas solerter indaganda à nobis est) disputabitur, an Attributa reliqua transcendant? & quamuis ad distinctionem, & numerum Attributorum designandum, oporteret hanc quæstionem de transcendentia, vel non transcendentia horum Attributorum, per Attributa alia, siue de distinctione non mutua eorum ab aliis, que certò mutuo inter se ex parte obiecti differunt (ut Scientia, & Amor, Intellectus, & Voluntas, ac fortasse Omnipotentia) que quidem quæstio præsentè immediatè videbatur successura; tamen quia eorum non disputata exactè natura, & essentia, (quod ad propriam cuiusque ex eis quæstionem spectat) nihil firmum itatui ea de re potest, quæstionem de transcendentia eorum Attributorum per alia, ad varias de eis quæstiones remittimus, post hanc disputationem habendas, atque ad quæstionem de numero, & diuisione Attributorum facinus gradum.

ORTEGA
In J. p. a. u.
D. V. la
107

malis distinguantur? & quidem, cum realis absolute Attributorum ab Essentia, vel inter sese distinctio, etiam adeo error sit, ut in nullis unquam sententia, imò neque in mentem venerit; atque insuper inter Essentiam, & personalitates (vbi mysterij Trinitatis arduitas, & inferuabile nobis arcantum ob contradictoriorum, quæ de veritate secundum fidem verificantur, nonnullos à fide ipsa, quoad physica, & absolute realis personalium, & Essentia identitatem, se cit deficere) valide eiusmodi distinctionem hæreticam reiecerimus, atque dogma physica unitatis eorum ita uerimus d. 8. de Trinit. q. 1. à certam. 2. per totam, nihil hic de ea Attributorum ab Essentia, & inter sese, siue pro eorum potius omnium identitate, & unitate reali disputabimus: cum ex ibidem dictis facile quibus, si forte quispiam hac in re à fide, & à ratione naturali etiam demiceps abiret, pro unitate eiusmodi Attributorum inter sese, & cum Essentia ea possit interquirere, atque ad plura absurda negantem deducere. Licet autem ea d. 8. q. 2. de distinctionibus aliis duabus realibus Essentia à personalitatibus, nimirum reali formali, siue ex natura rei, & reali virtuali egerimus, atque utramque ab illis relegauerimus: quare, & ex dictis ibi utraque etiam distinctio ab Essentia, & Attributis confutari satis possit: tamen hic nonnulla alia contra utramque distinctionem in præsentiam adiciemus, & sequenti questione.

CERTAMEN I.

Distinctio Scotica realis formalis siue ex natura rei explicatur, atque ab auctoritate refellitur.

1. Scotus in 1. d. 2. q. 7. s. s. *sed hic restat*, atque aliis locis citatis à nobis d. 8. de Trinit. q. 2. certam. 1. n. 1. ut difficultatibus ex omnimoda reali identitate personalium realiter inter se distinctorum cum communibus in mysterio Trinitatis subortis occurrerit, subrimide, atque (ut ipse primo loco fatetur) sine assertione dixit, rationem Essentia à ratione suppositi, distinctionem aliquam habere præcedentem omnem actum intellectus. Paulò autem inferius distinctionem hanc personalium, & communium appellat distinctionem rationis, & virtuales. Vide Valquez & ex nostris Complutensibus alij, virtuales horum, siue eminentialem asseruisse Scotum continent. Soar. vero dist. 7. met. sect. 1. & 4. de Trinit. cap. 4. Salas 1. 2. tract. 2. Petrus Hurtado d. 6. met. sect. 3. & 4. atque ex Scotis Herrera tom. 1. d. 8. q. 13. d. 14. q. 1. nihil aliunde distinctionis inter personalia, & communia additum esse supra Thomisticam, & apud Scholas reliquas receptam distinctionem rationis ratiocinata, cui res ipsa, ut in re est, efficiendæ fundamentum præberet. Verum Scotiæ reliqui à nobis citati, præfato loco de Trinit. Aliam tertiam distinctionem actuale, nec solum virtuales ab Scoto adductam censent, quæ purè rationis nullatenus sit, neque absolute realis, communiter dicta talis, sed realis actualis ex natura rei, siue formalis. Siquidem & q. 7. rationis, & virtuali distinctione, quas dixerat inter Essentiam, & Personalitates intercedere, omiſsa, subdit statim, *Ita ante omnem actum intellectus Essentiam non esse Personalitatem, seu relationem, ut Patet considerans utramque ex natura rei habent, & non ex aliquo actu intellectus, unde vera hæc propositio sit: Essentiam non esse formaliter Paternitas.* Vt constat ex eius verbis datis citato loco de Trinitate.

2. Nos autem ibidem neque eis Scoti verbis recitatis, atque Illustrissimi Merinero, ibi etiam citati ponderationibus adduci potuimus, ut amplius aliquid ab Scoto distinctionis inter communia, & personalia induceretur, quam fundamentum reale, siue ex rei ipsius naturæ, ad distinctionem rationis inter illa formandam, siue à nobis abstractiue Deum cognoscentibus, siue ab inuenientibus Deum Beatis, sicut se Deus inuenitur. Cum

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus I.

enim Scotus ipse in 1. d. 1. q. cum Scotis omnibus defendat videntes Deum clarè, Essentiam sine Personalitatibus posse videre, idem de Deo seipsum videntè intuitiue videntur necessario dictum, at proinde, Scoti verba de Patre cognoscente intuitiue seipsum, saluarentur, & proprio quidem sensu, satis esse, si ei ad diuidendam Essentiam formaliter, & ex parte obiecti, cum se intuitiue videret, à Parentitate, entitas ipsa diuina sine vilo actu intellectus præcedente ex sua ipsius natura, & entitate fundamentum præberet. Verum, licet ex eius verbis præfatis nihil amplius cuius de Scoti mente queat; cetero tamen aliunde communem Scotistarum interpretationem magis è Scoti mente esse. Etenim distinctio rationis ratiocinata, siue cum fundamento in re, iam pridem ex Patribus tradita erat in Scholas, ab Scholasticis recepta, & de cuius assertione nulla esse posset, adhuc præ nouitate, dubitatio eam asserendi, vel metus. Scotus autem ita timide eam distinctionem primò protulit §. illo *Sed hic restat*, ut dixerit: *Dico sine assertione, & præiudicio sententia melioris*, quibus, & sibi, & sententiæ suæ præ nouitate, & difficultate metuere, neque assertiue proinde velle illam proponere, satis ostendit.

3. Sret ergo sententiam Scoti, de distinctione reali actuali ex natura rei, siue formali tertiam aliam distinctionem, vel præter duas actuales, & rationis ratiocinata, & realis notissimæ, siue inter rem, & rem, non solum formaliter ex natura rei fundamentaliter, sed realiter realiter, ut sic loquar, diuersas inter communia, & personalia in diuinis potuisse; neque tamen Scotus, eiusque Schola ita putanda est delirasse, ut mediam hanc distinctionem, inter realem, & rationis defendant contra Arist. 5. metaph. tex. 14. & lib. 6. tex. 6. Cum enim distinctio rationis sit, quæ datur solum in mente, realis autem, quæ non datur solum in mente: qui mediam inter hæc daret, medium inter contradictoria daret, quod subtilis Doctoris, & Scholæ non est, sed vesani solum hominis, & stupidissimi. Docent igitur Scoti, distinctionem inter personalia, & communia realiter, siue à parte, seu ex rei natura dari, alterumque distinctionis realis formalis, seu, quæ ex natura rei datur membrum vnum esse, alterum verò distinctionem realem præse dictam, seu non formalem realem. Sed, licet subtimidus adeo, atque ob difficultates mysterij Trinitatis sententiam hanc fuerit Scotus ingressus, tamen, cum rationes, quibus illam ibi probat de aliis omnibus, quæ ex parte conceptus obiectiui distinguuntur formaliter, atque probent, eam etiam inter Essentiam metaphysicam Dei, eiusque Attributa. Atque inter hæc etiam inter se, deposito iam metu admisit in 1. d. 8. q. 3. dicens. *Ad questionem respondeo, & dico: quod inter perfectiones essentielles non est tantum differentia rationis etc.* Est ergo ibi distinctio præcedens intellectum omnimoda, & est ita: quod Sapientia est in re ex natura rei, & Bonitas est in re ex natura rei, Sapientia autem in re non est Bonitas. Cum autem cuius distinctioni opposita identitas necessario respondeat, formalem etiam, & ex natura rei identitatem ab intellectu independentem admittit, siueque definiuit Scotus q. illa 7. citata: *Voco identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur, sic idem includit, cui dicitur, sic idem in sua ratione formali, & per se primo modo.*

4. Hanc sententiam Scoti ita explicatam, tam, quo ad identitatem, quam quo ad distinctionem Attributorum ex natura rei formalem Scotiæ omnes admittunt, si citatum Herteram excipias. Nec solum citati plures d. 8. de Trinit. q. 2. cert. 1. n. 2. vbi & acerrimum distinctionis huius formalitatum ex natura rei defensorum Aggidium de præsentatione Augustiniani. Nunc autem addo Radam 1. p. controuert. 4. Licherum Bargium, Bafolidem, Nicolaum de Nisse, Guilielmum Borodungum, Matronem, Petrum de Aquila, & alios, quos refert, sequiturque Theodorus Smiling, de Deo vno tract. 2. d. 1. q. 2. n. 43. Quibus accessit è nostris Fonseca 5. met. cap. 4. q. 6. & Conimbrienses præfat. Porphyrij q. 4. vbi inter formalitates rei eiusdem creatas, eiusmodi distinctionem ex natura rei, non tamen in diuinis, admiserunt. Cæterum Scotiæ in his, ut vidimus contr. 2. Logicæ, non omnino concordant. Nam Syrectus, Mauritius Balon, & alij teste Merinero sect. 2. censent formalitates, seu naturas vniuersales distingui formaliter ex natura rei ab inferioribus, quibus insunt, secus verò has ab illis, quibus formaliter ex natura rei censent identificari.

G Contra

ORTEGA
IN A. PARTI
D. VIa

Contra vero Bassolis, Trombeta, & Rada inferiores à superioribus distinguunt formaliter ex natura rei, has vero illis formaliter ex natura rei identificant. Verique enim censent inter eadem extrema eiusmodi distinctionem, & identitatem non mutuum esse posse contra euidenti-
mum principium Dialecticum, in quo omnes Logicarum conuersionum regulæ nituntur. Reliqui vero Scotistæ inter eadem formalitates mutam vel distinctionem, vel identitatem ex natura rei necessariam fatentur, vt videre est apud Merinerum supra; sed de his plura in Dialectica dedimus.

5. Sententia opposita negans inter Attributa, & Essentiam, & inter se distinctionem, ex natura rei formalem, atque ab intellectu profus independentem tenenda nobis, vt longe verior, est, longèque communior: Adeo vt præter Agydium, Fonseca, & Conimbricenses extra Scoticam Scholam omnes eiusmodi distinctionem in diuinis, non solum inter communia, sed & inter communia, & personalia negant. Idcirco neminem pro hac negatiua sententia retulit citato loco de Trinitate. Neque in præfati referam, quia vno ferè referuntur verbo, reliqui Theologi omnes. Quin affirmatiuum plures grauius censuris füllant. Canariens. & Bannez ad q. 28. 1. p. art. 2. & q. 39. art. 1. & 2. Et alij apud Turrianum, Opusculo eodem. Relat. erroris in fide, eam notant: Marli, & Adan. Contra illam clamare Scripturam, & Patres. Bacon esse contra Scripturam: Zumel, ad q. citat. 1. non satis Fidei consonam: Carthusianus summis Philosophis, & Theologis aduersari: Molina, & Atrubal citatis locis 1. p. non satis esse tutam. Ruiz d. 11. de Trinitate, temerariam, nec tutam appellat. Ego verò à censuris in subtilis Doctoris, & Scholæ, sententiam temperans, eorum solum fundamenta ab autoritate proponam, vt alij, quo iure ferantur, iudicium ferant. Primò enim Concil. Florent. semel, atque iterum in diuinis, adhuc Hypostasas, seu personalia ab Essentia soluarione differre dicuntur. Atque in Rhemeni ab Eugenio 3. definitur, *In nullo sensu Catholico negari posse, quin diuinitas sit relatio, & e contra, nec diuini hæc posse, vt alterum re ipsa ab altero, contra Gilbertum Porretanum, qui ea solum ex natura rei diuidebat teste Orthone Frisingiense apud Bazq. 1. p. d. 120. c. 1. & 2. Imò cum hæc ex natura rei, & ante intellectum distinctio vera sit, Pater, *Deitas*, aut *Deus Iustitia* in recto dici absolute, & simpliciter non poterit, sed *Deitate* Deus, & *Deus Iustitia* in ablatiuo; Iustus, vt Gilbertus aiebat.*

6. Quartò: cap. Damnamus, & cap. Firmiter de summ. Trinit. & Fide Cathol. ex Concilio Lateranensi, esse idem omnino Personas, etiam cum Essentia omnino simplicissima, nec esse quatermitatem, neque vterio-
rem Trinitate numerum definitur. Si autem distinctio hæc in diuinis vera, nec solum per rationem, & sicca sit, non quatermitas solum, sed longè amplior numerus, seu contentitas (vt ait Bernardus 5. de Considerat.) in Deo erit. Quæ omnia consensui Sanctorum Patrum, qui Dei summam simplicitatem, omniumque, quæ in Deo sunt identitatem inter se veram absolute, ac proinde cuiusuis diuini prædicati de quouis alio, abstractis nominibus, prædicationem, neque aliter ea, quam per rationem distinguendo summo consensu, & fatentur, semper & docent, minime coherere, sed aduersari videntur; & quamquam ob mysterij Trinitatis arduitatem, & difficultates, quæ ex illo imbecillitati, ac tenuitati nostrarum mentium opponuntur, in eam sententiam agi ponit nihil excusationis habentur, tamen eam etiam in communibus Dei Prædicatis defendere omnem rationabilem, excusabilemque autum prætergredi videtur. Nec satis est quod his ab autoritate petitis argumentis, diuersimodè Scotistæ respondent. Nimirum, maiorem Identitatem, Vnitatem, ac Simplicitatem in re, quæ pluribus prædicatis, & formalitatibus ex parte obiecti diuersis constat, esse profus chimericam, & impossibilem: Quæ aquè responsio hæc, atque sententia ipsa Patribus, & Conciliis aduersatur, cum neget possibilem Veritatem, Simplicitatem, & Identitatem omni distinctione, compositione, ac diuisione vera, & quæ rationis pura non sit, profus immunem: cum eam Patres, & Concilia præfata, & possibilem esse, & Deo adesse de facto desintant.

CERTAMEN II.

A ratione distinctio vera formalis ex natura rei Attributorum inter sese, & ab Essentia eliminatur.

1. VT ea nunc mittam, quæ in Logicis vniuersim de-
di, & quæ ex Dei, ac diuinorum omnium summa Vnitatem, Simplicitatem, atque reali Identitate, & nuper ex Patribus terigi, fusiùque, dedi citato loco de Trinitate. Et fusiù adhuc de Simplicitate, & Vnitatem Dei agens, contra eiusmodi distinctionem persequar: Arguo primo discursu quem contra eam eformam citato loco de Trinitate, ostendens emolliendis arduitati, & difficultatibus, quæ in mysterio Trinitatis occurrunt (ob quales primum Scotus, & subsecutus tamen, in eam sententiam fuit actus) distinctionem formalem ex natura rei ante, atque independentem profus ab omni actu intellectus, nullatenus inferuire; ac proinde sine vilo fructu sententiam tot difficultatibus, periculose in bona Theologia, imò & Fidei puritate, plenam, inductam in Scholas fuisse, meritoque à communibus Dei prædicatis (in quibus ea sub-
lata, neque vmbra difficultatis est. Ea vero superfluit, & admittit tot difficultates ebulliant) omnino esse relegendam. Difficultates mysterij Trinitatis ad duo capita reuocantur. Primum ad eas, quæ ex illo principio notissimo; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, suboriuntur in Trinitate. Alteram ad eas, quæ non nisi cum contradictione de Deo, ac Persona, & Personalitate quouis diuina, verificari posse videntur.

2. Difficultatum primi generis ex illo principio in hoc mysterio suborientium exemplum sit. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: sed Personæ diuine sunt eadem vni tertio Essentia: ergo sunt eadem, seu idem inter se. Dicit Scotista distinguendam maiorem: quæ sunt eadem vni tertio identitate omni reali, tam strictè reali, quam reali formali ex natura rei, sunt eadem inter se, esse verum; altera solum, falsum: Personas autem esse eadem vni tertio Essentia, altera solum identitate reali, strictè nimirum dicta, non autem reali etiam formali ex natura rei; sed hoc effugium inane esse, sic ostendo ex dictis citato loco de Trinitate. Etenim eius generis & ordinis identitas extremorum inter se fore illud principium dicit, cuius fuerit eorum identitas cum tertio, non ordinis, & generis alterius, vt per se patet: alioqui liceret eadem facilitate dicere, non currere illud principium, nisi de extremis identificatis vni tertio omni genere identitatis, rationis etiam. Constant ergo, & per se notum est, ex identitate extremorum cum tertio in vno genere eorum inter se, in illo genere identitatem inferri; atque identitatem, seu distinctionem in alio impertinenter profus se habere, vt in illo inferatur, vel non inferatur; atque identitas realis strictè Patris, seu Paternitatis, Filiique, & Filiationis cum Essentia adest ex Fide: ergo ex illa identitas realis strictè inter se inferatur, quin obit distinctio formalis, ex natura rei ab intellectu omnino independens, requiriturque formalis ex natura rei eorum inter se inferatur, ex identitate reali stricta, seu specialiter dicta Attributorum cum Essentia, eorum inter se identitatem realem nullatenus inferri posse; sicuti neque aliorum prædicatorum rei eiusdem in creatis, vnde omnis syllogistica forma cessat: quia neque Attributa cum Essentia, neque alia prædicata rei cuiusuis, cum aliquo eius prædicato formalem ex natura rei identitatem habent, sed solum realem specialiter dictam identitatem.

3. Difficultatum secundi generis exemplum sit, vulgaris illa etiam contradictio, de eadem realiter specialiter, seu strictè realiter dicta entitate Patris. De qua eadem, reali entitate verum est dicere: *Essentia Patris communis est, atque Paternitas seu Relatio, ac Personalitas Patris* non

non communicatur. Atqui Paternitas, seu Relatio, ac Personalitas Patris eadem realiter est eum Essentia Patris: ergo de eadem entitate duo contradictoria verificantur, vel fatendum contra fidem erit; vel utrumque communicari, vel neutrum. Hæc autem, admittit etiam distinctione formali ex natura rei eodem modo contradicant, si contradicunt sine illa: ergo ea etiam admittit difficultates secundi generis ex contradictoriis, quæ videntur in mysterio Trinitatis admittenda, eodem modo perseverant. Minor probatur: quia tunc est contradictio, cum eo sensu, quo contradictoria prædicantur, vnum idemque ipsum est, de quo prædicantur: atqui in eo sensu, in quo prædicatur, communicari Paternitatem, & non communicari Essentiam, Essentia & Paternitas vnum idemque ipsum est, etiam admittit distinctione formali ex natura rei: ergo etiam admittit, eadem vi, & robore perseverant contradictoria quo ea seclusa stabant, si stabant. Minor hæc probatur quia communicari, & non communicari dicuntur in sensu reali strictè tali de Essentia, & Paternitate: atqui admittit etiam distinctione Essentia, & Paternitatis, formali ex natura rei, Essentia & Paternitas in sensu reali strictè, & specialiter tunc vnum idemque ipsum sunt per ipsos Scotistas, & per fidem: ergo, ea etiam distinctione admittit, in eo sensu, quo contradictoria prædicantur de Paternitate & Essentia, vnum idemque ipsum est subiectum.

4. Solum respondere possent Scotista ad contradictionem veram requiri, quod subiectum, de quo utraque contradictionis pars prædicatur, debeat esse idem, omnimodè identitate, non solum reali, speciali, & stricto sensu, sed etiam reali formali, & ex natura rei, quod est negare primi syllogismi maiorem. Ea veto probata à nobis est. n. 2. in refutatione similis solutionis, argumento primo adhibita. Etenim ea ex infertur etiam seclusa distinctione ex natura rei formali, sola rationis distinctione, saluari eiusmodi contradictiones in hoc mysterio posse, si alius sensus ab eo, in quo prædicata contradictoria dicuntur, distinctio eorum, de quibus dicuntur, sit satis, licet in illo ipso sensu, in quo de eis dicuntur, habeant omnimodè identitatem. Sed ut ibi dicebam, si forma contradictionis persistat eodem omnimodè sensu, quo prædicata subiectis conueniunt, ac verificantur esse idem ipsum vnumque satis est, neque alio sensu, & ordine esse ad destruendam contradictionem est satis: quare neque Essentia, & Paternitas in alio quouis sensu distinctionem ad contradictoria vitanda satis esse. Alioquin illud argumentum ipsum contradictoriorum dictorum, quo Scotista alios ad suam ex natura rei formalem distinctionem Essentia à Paternitate, per trahendos putant, vim nullam habet. Est enim eiusmodi, Paternitas non est Filialis: Essentia est Filialis: atqui Paternitas, & Essentia sunt idem: ergo idem est Filialis, & non est Filialis. Inquiri enim ab his. An eo sensu, quo de Paternitate prædicatur, ac verificatur non esse Filiationem, & de Essentia esse Filiationem, siue non esse idem cum Filiatione, & hæc esse idem cum Filiatione. Satis sit Paternitatem, & Essentiam esse idem, ut sit vera contradictio? an satis sit quod alio sensu, & genere identitatis Paternitas, & Essentia non sunt idem, ut contradictio vera non sit? si hoc extremum, distinctione obiectiva purè rationis, ei satisfieret, si primum (quod per se quidem notum est) contradictoris suis, nec ipsi satisfaciunt, cum ad aliud genus, & sensum distinctionis formali ex natura rei recurrant, distinctum ab eo, in quo Paternitas non esse idem cum Filiatione, & Essentia esse idem cum Filiatione vere dicitur.

5. Arguo tertio: vel distinctio formali ex natura rei vbiicumque adfit, facit, ut res eadem, inter cuius prædicata inueniuntur, possit prædicata aliàs contradictoria, ut communicari, & non communicari, vel alia similia, subiecte vel secus: si hoc extremum: ergo, quod in Paternitate dicitur, non est distinctio ex natura rei formali Scotica: sed aliud speciale, nempe Dei infinitudo, atque eminentiale esse, identitatisque summa, quæ aliàs incompossibilia, siue eorum fundamenta adunat. Paternitas: nam si ea sola distinctio id præstaret vbiicumque adesset, idem præstaret. Si autem dicas idem præstare vbiique rerum, in quibus sit: ergo & in creatis idem præstat. Quid ergo adeo arcanum, & mentis nostræ captum

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus I.

superans, est in Trinitatis mysterio, ut eius, ne possibilitas quidem, sub discursu nostri vires assequenda veniat, ut Patres, & Theologi vno ore, & sententia fatentur. Cum possibilitas similis in creatis, huius distinctionis beneficio facillimè à discursu nostro deprehendi queat: Imò cur inde realis communitas nature superioris cum inferioribus, quæ inter se realiter distinguuntur Platonicè tantopere à Philosophis omnibus, Scotistis etiam, exhibatur, cum contradictiones omnes, ad quas ea sententia cogitur, huius formalis distinctionis ex natura rei subsidio facillè superentur: hoc ipsum argumentum conficitur in alia difficultate, ex illo principio: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: quæ omnimodè euacuatur hac distinctione, ac proinde Trinitas, non mysterium, sed res facillè perceptu erit, atque opinio illa Platonicæ, quæ similem difficultatem patitur, ob eamque tandiu ab Scholis exulauit, cum debito honore postliminio longissimo reuocata, erit ad Scholas reducenda, ut perpetuas ibi Scotistis sue huius gloriosissimæ reductionis authoribus gratias agat. Maxime, cum prædicari communis eadem sit definitio, quare, & realis formalis ex natura rei omnium realiter inferiorum identitas conuincetur, si prædicatorum rei eiusdem definitionum diuersitas satis (iuxta Scotistas) sit ad formalem ex natura rei eorum distinctionem asserendam.

6. Ex his, quibus distinctio formali ex natura rei, prorsus ab intellectu independens inter Personalitatem, & communiam (vbi commodi aliquid asserere possit) inuenticulis ostenditur efficaciter satis à diuinis Prædicatis communibus inter sese (vbi nullus est fractus) relegatur, ut initio dicebamus. Sed reuertitur ab his specialiter. Etenim ea solummodo distincta quouis modo à parte rei, atque omnimodè ab intellectu independentem asseri in diuinis possunt, quibus independentem ab intellectu repugnant omnimodè identificari: aut his prædicatis personalibus, vel formaliter, vel fundamentaliter relatiuis (ut modo à sententiis abraham circa constitutionem, & distinctionem formalem personarum) seu Relationibus Producentis, & Producti repugnant omnimodè identificari in diuinis, non autem prædicatis communibus, quæ neutro modo relatiua sunt: ergo, licet in personalibus distinctio formali ex natura rei, ab Essentia, & realis specialiter dicta inter sese ab intellectu independentes, admitterentur in communibus, (cuiusmodi sunt Essentia, & attributa) admitti nullatenus possunt. Minor videtur dogmatica, ex illo axioma: *In diuinis omnia sunt vnum, nisi obuiet relationis oppositio*. A Patribus, & Concilijs tradito, totaque Theologia suspecto: quod in sensu realis distinctionis à nemine Catholice negari potest: imò neque in sensu formali, nisi de fundamentaliter relatiuis, est formaliter absoluta metaphysicè sint, ut nos censemus. Maior verò à nemine adhuc Scotista negatur. Sin autem illud *Omnimodè*, durissimè ipsis sonet. Probatur ex summa Dei Simplicitate reali, Secundo quia, quæ nullo modo repugnant inter se à parte rei, & independentem ab intellectu, omnimodè identificari à parte rei, atque independentem ab intellectu debent, ex prædicato infinitatis Essentia physica Dei. Denique: quia inter non relatiuè, siue formaliter, siue fundamentaliter opposita, non solum vnitas realis à Concilijs, & Patribus asseritur, quæ de Vnitate strictè reali satis videretur explicari ab Scotistis, sed & distinctio realis negatur. *Nec est distinctio, nisi obuiet relationis oppositio*, quo omnis distinctio à parte rei, seu realis à diuinis aboleretur non oppositis relatiuè alterutro modo: ac proinde ab omnibus prædicatis communibus. Quod autem communia prædicata, neque formaliter, neque fundamentaliter opposita sint relatiuè, seu relationibus producentis, & producti negari non potest: quia aliàs innumera processiones communium inter se, & ab Essentia fieri tenebitur. Nec valet, ea axiomata intelligi de distinctione, & vnitatis strictè reali, quarum altera, non nisi in ita oppositis est, vnitatisque realis stricta, seu specialis in ita non oppositis; non autem de distinctione reali formali, seu ex natura rei, atque vnitatis reali formali, seu ex natura rei: quia illa negatio distinctionis à parte rei omnem aboleret distinctionem inter relatiuè non opposita, ut dixi.

G 2 Secundo;

ORTEGA
IN A. PARI
D. VIA

Secundò: quia non est cur predicata communia distinguantur sine ea oppositione, formaliter ex natura rei valeant, non autem realiter. Denique distinctionis formalis ex natura rei independenter ab intellectu, & distinctionis absolutæ, & strictæ realis diuersitatem vocum solummodo esse ostendimus fusè citatis locis, maxime controuers. 2. dialect. Denique que pro hac sua sententia Scotistæ opponunt leuissima sunt, neque in diuinis maiorem difficultatem, quam in creatis habent, præter argumentum contradictorium, & vnius tertij, quod æque eos in sua distinctione ex natura rei premit, vt vidimus: quare nihil hic pro eis opponam, tunc quia soluta facillima, tum quia ea omnia in Logicis discimus.



Q V Æ S T I O V.

An Attributa diuina virtuali reali distinctione, & inter sese, & ab Essentia distinguantur?

Item etiam agimus de Attributis strictæ acceptione dictis, id est, predicatis necessariis Dei Essentiam metaphysicè consequentibus. De contingentibus enim, an ab Essentia, & communibus realiter virtualiter, & distinguantur, & producantur, ad controuersiam de Voluntate Dei spectat, disputare.

CERTAMEN I.

Affirmantis sententiæ Doctores, & explicatio & distinctionis huius virtualis realis antiquitas.

Patronum inuentorem innumeramque sequentium doctam turbam penè recensimus controuers. 2. dialect. d. r. q. 2. & controuers. de Trinit. d. 8. q. 2. certam. 2. n. 1. pro qua addo Atragiã ibi citatam, longius tamen post illa nostra scripta eiusmodi distinctionem adstruentem 1. p. d. 42. sect. 5. Albiz tractatibus de Scientia, Voluntate, & Trinitate. Falsolum 1. p. q. 4. art. 2. n. 99. Quedo controuers. 4. met. pun. 4. & Murcianis Recentiores. Quid autem distinctionis virtualis (de qua hic) nomine veniat intelligendam, atque ab his Doctoribus intelligatur eo cert. 2. aperuimus, vbi illam esse virtutem, seu capacitatem rei eiusdem formaliter realiter ad suscipienda predicata contradictoria, quod minus ab eadem realiter entitate profus eadem suscipi, aut recipi verè minime possunt: siue (vt eorum, qui eam tunc vocibus ipsis vtant) distinctum virtualiter realiter est, quod eum idem omnino reipsa sit in ordine ab subeunda realiter contradictoria perinde se habet, ac si distinctum foret.

2. Distinctionem hanc inter Personalia, & Communia citati omnes defendunt, atque inter predicata necessaria, & libera, ad que in necessariis huius virtualis distinctionis beneficio, potentiam etiam virtutem plerique ex eis fatentur, vt controuers. de Voluntate videbimus, vbi huius virtualis potentie Patronos numerabimus, ac per otium impugnabimus. Caterum ex eis plerique etiam in communibus, ac necessariis Dei predicatis eiusmodi distinctionem realem virtutem non negant solum, sed profus abhorrent, vt chimericam, ac sine fundamento vilo in eis inductam: imò, non sine mysteriorum fidei nostre iactura, irreuerenter, cuius sententiæ præcipui defensores sunt Murciam Recentiores, & quidem eiusmodi distinctionem inter necessaria Dei predicata sine vlla rationis vmbra, ac fundamenti momento, ac tandem cum magna mysteriorum fidei nostre irreuerentia adhiberi, excidendis, cert. 2. aperte constabit.

3. Ex eis autem, qui vel inter communia & personalia, predicataque libera, & necessaria Dei, vel etiam inter omnia diuina, etiam necessaria predicata realem hanc iuxta memoratas sententias virtutem distinctionem recognoscunt, ita hanc virtualitatem, seu æquivalentiam distinctorum, predicatis diuinis tribuunt, vt eis realiter distinctis in ordine ad totum, seu ad omnia munera, que eis ita realiter distinctis competunt, attribuant; in quo & ab intelligentia, & definitione realis virtualis distinctionis, quam defendunt, & à ratione aperta deficiunt, & in plura incidunt absurda: quod ipsum de quantis æquivalentia, aut virtualitate rei huius, respectu alterius dictum puta. Etenim cum virtualitatis Essentia, ac definitio sit æquivalentia rei vnius, & eiusdem pluribus, & diuersis realiter in ordine ab subeunda predicata contradictoria: atque possint distincta virtualiter, ita habere se in ordine ad aliqua, quin in ordine ad alia distinctorum munera, ac si distincta essent, se gerant; non ita distincta virtualiter sunt quoad alia munera distinctorum realiter, ac si distincta realiter forent, se gerere debent. Rationi etiam deficiunt: quia, que omnia omnino munera distinctorum subeant non virtualiter, & æquivalenter, sed realiter etiam formaliter distincta erunt. Æquivalentia enim alicui in omnibus, & per omnia, non æquivalens solum, sed realis formalis identitas cum illo est: vt patet in vino æquivalenter, & virtualiter calido, si enim in omnibus, & per omnia, ac non solum in causando calore, huic æquivaleret, calidum certè realiter formaliter, ac non solum virtualiter esset. Absurda, quia innumera, & facile deducibilia omittit.

4. Hinc etiam præcautus est virtualem realem distinctionem, vbiuis sit, admittentibus error alius, qui eis facile, è virtualis sue distinctionis definitione, posse obreperere: Ex quo etiam nonnullis obiectionibus possent irriteri. Nimirum ad virtutem distinctionem realem, licet in subeundis contradictoriis æquivalentia realiter distinctis requiratur, non tamen esse opus, vt omnia contradictoria, que distincta alia realiter formaliter subire possunt, imò, nec, que pro libro quisque voluerit ex eis, que ipsi occurrant, debeant realiter virtualiter distincta subire. Etenim cum vnum solum contradictorium, verè tale, nequeat idem realiter, atque vnum reipsa subiectum subire, quod realiter vnum est, si vnum solum, alius verè contradictorium respectu alterius subeat, licet plura alia contradictoria non subeat, imò subire nequeat (vt potest contingere) vt distinguatur realiter virtualiter, satis habebit.

CERTAMEN II.

Realis virtualis distinctionis inter Attributa Necessaria inter sese, & Essentiam minime admittenda.

Vniuersum verò, realem hanc virtutem distinctionem in diuinis, adhuc inter communia, & personalia, atque inter predicata necessaria & contingentia, seu libera diuina constanter negant Vaig. 1. p. d. 117. & d. 121. Granados controuers. 1. tract. 3. d. 5. sect. 3. Alarcon tract. 1. d. 4. cap. 2. tract. 3. d. 4. cap. 7. tract. 5. d. 2. cap. 7. Luis Torres p. 1. select. cent. 4. dub. 35. (qui duo contra eiusmodi distinctionem plus odij, stomachi, dictionum, & inanium censurarum, quam rationum afferunt) & alij apud ipsos, quibus ego consensu, eandem realem virtutem distinctionem, tam à creatis controuers. 2. Dialect. d. 1. q. 3. quam à diuinis etiam inter communia, & personalia d. 8. de Trinit. q. 2. cert. 2. Et inter communia necessaria, & libera hoc tunc controuers. 3. d. omnino relegans. Quare in præsentiatum potiori eam iure inter predicata diuina communia, & necessaria (cuiusmodi Essentia, atque Attributa Dei sunt) priorius reitico, in qua conclusionem non solum cum proximè recitatis abolutè, atque vniuersim eam in diuinis negantibus conuenio, sed etiam cum plerisque eorum, qui ea inter personalia & communia, atque inter necessaria, & libera ad-

missa, tamen inter prædicata communia necessaria à di-
 uinis reiciunt, vt memorauimus notam. 1. n. 2.

2. Sed enim, quia aliquibus à nobis efformatis argu-
 mentis, citato loco de Trinitate, vidimus satis acute à Mur-
 cianis Recentioribus tentatum solutionem, aliique, quæ
 ratio pure de nomine questionis, omisit, pro eis in-
 stantibus hoc loco nobis erit, cum ex negatione eius dis-
 tinctionis virtualis, etiam in Trinitatis mysterio, valide,
 vt diximus, à communibus, & necessariis prædicatis rei-
 ciatur. Eam igitur reiciebamus ibi: quia eiusdem ra-
 tionis inferenda est distinctio, vel identitas extremorum
 inter sese, & cum tertio, quo inter sese distinguuntur, &
 cum tertio identificantur, ex illo principio: *Quæ sunt
 eadem vni tertio*, vt q. 4. cert. n. 2. docebam contra
 Scotistas. Quare, cum distinctio Personalitatum inter se,
 & identitas cum Essentia realis formalis sit, eorum ab Es-
 sentia realis formalis distinctio, vel inter se identitas in-
 ferretur; quin virtuali solum eorum ab Essentia distin-
 ctione satisfiat. Secundæ difficultati de contradictoriis,
 quæ de Personalibus, & Essentia realiter verificari di-
 cuntur, ea virtualis distinctio non satisficit: quia tunc
 solum absolute est vera contradictio, cum eo sensu, quo
 verumque contradictorium verificatur, est idem ipsum
 subiectum de quo verificatur verumque. Ast in sensu ab-
 solute reali actuali, in quo verificatur, *Pateritas commu-
 niatur*. Et Essentia non communicatur, contradictoria
 quæ similia, Essentia & Pateritas est idem ipsum subie-
 ctum de quo verificatur: ergo manet adhuc vera con-
 tradictio, posita etiam distinctio virtuali ad eam vitan-
 dam inuenta.

3. Difficultati ex principio illo, *Quæ sunt eadem vni
 tertio*, petita nihil respondet Præfati Recentiores, sed
 huic solum de contradictoriis. Aium enim: tunc subie-
 cta contradictorium eo sensu, & modo, quo hæc
 illis conueniunt, distingui debere, cum vi distinctionis
 subiectorum vitanda est contradictio, vt Scotista vi suæ
 distinctionis formalis ex natura rei vitare contendunt;
 scias autem, cum sine vlla vera distinctione subiectorum,
 de quibus verificatur realiter, imo cum summa eorum
 reali identitate, reique in qua metaphysicè sunt vitate,
 ita in ordine ad subeunda realiter contradictoria ob en-
 titatis sue eminentiam, fieri gerunt, ac si realiter distin-
 guerentur. Bene: ergo distinctio hæc virtualis ex parte
 subiecti posita, nihil emolliendæ difficultati contradicto-
 riorum, ex hoc mysterio pullulantium, inferuit, neque
 eius vi euacuat contradictio; sed potius ex summa
 Dei identitate, & veritate; quæ quia summa, atque emi-
 nentissima est, ea, quæ in non adeo summe eisdem, & vnus
 repugnant, amice componit, facitque contradictoria in
 Deo non esse, neque ad contradictionem veram perueni-
 re (cum nihil in eo negatum sit, quale alterum veræ
 contradictionis extremum esse oportet) fundamenta ve-
 rō, vt nostro intelligendi modo contradictoria enuntia-
 mus, quæ quidem in aliis minus Deo vnus, & eisdem ve-
 ram contradictionem efficerent: quare ex summa potius
 identitate, & veritate Dei, de quo contradictoria verè
 prædicamus, quam ex vlla eorum, quæ in ipso metaphy-
 sicè sunt, distinctioe reali, siue actuali, siue virtuali con-
 tradictorium, & aliorum, quæ ex hoc mysterio sub-
 oriuntur, vt citato loco de Trinitate docebamus, ea pro-
 ceunt.

4. Arguo rursus. Non est maior oppositio, & repu-
 gnantia identitatis realis formalis, Principij producentis
 cum procedente, quam sit eius identitatis contradicto-
 riorum in subiecto eodem: Cum ex hæc, illa tandem de-
 monstratur: Ast per vos contradictorium oppositio, &
 repugnantia saluatur satis distinctione reali virtuali: ergo
 eadem etiam saluabitur satis repugnantia identitatis Prin-
 cipij cum Principiato. Quare ex diuinis processionibus
 filij à Patre, atque Spiritus Sancti ab vtroque, diuinam
 personarum realis actualis distinctio perperam à Pa-
 tribus, & Conciliis inferretur, cum virtualis hæc distin-
 ctio ad eusmodi processionem sufficiat. Insiper ex eo-
 dem principio inferretur, in diuinis plura principia, & prin-
 cipia virtualia dari debere v.g. Intellectionem diuinam
 esse principium reale virtuale Volitionis diuinæ adhuc
 necessariæ, ne dum liberæ, quod ipsum de Essentia respec-
 tu reliquorum Attributorum dictum puta. Neque enim
 maior est repugnantia in eo, quod vnus, idemque ipsum

realiter, tamen virtualiter in ordine ad suscipienda con-
 tradictoria, independenter ab intellectu distinguatur, ac
 se, vt realiter actualiter distinctum gerat, atque con-
 tradictionem conciliet, quàm in eo, quod se gerat, ac
 si secum identificata producat, & id quidem independen-
 ter ab intellectu: & vrgetur, quia si in diuinis omnia
 vnus sunt, vbi non obuiat relationis producentis, &
 producti oppositio (vt Theologicum dogma fert) bene
 quidem ex distinctione quavis non ficta in diuinis inferretur,
 in eodem genere principij, & principij oppositio: alio-
 qui erit in aliquo genere distinctio sine oppositione in il-
 lo, contra dogma præfatum. Scio ab aliquibus conse-
 quentiam è virtuali distinctione ad virtuale principium
 admitti. Sed malè: tum ob præcontinentiam realem
 necessariam in principio, respectu principij, & eminenti-
 talem longè maioris perfectionis, quàm sit in principia-
 tum, si equiuocum principium sit, quæ in diuinis repugnat:
 tum quia mysterium virtualis productionis, si de non co-
 gente, vt non cogit, admittere, non temerarium tantum,
 sed & stolidum est.

5. Ad primum, ac præcipuum argumentum respon-
 dent Murciani Recentiores. Veram esse maiorem de con-
 tradictoriis realibus formalibus: nempe non esse maio-
 rem repugnantiam productionis eiusdem à seipso, quàm
 subeundi contradictoria, quod vnus, idemque reip-
 sa est; secus autem de contradictoriis solum fundamenta-
 liter realibus, ac nostro tantum intelligendi modo con-
 tradictoriis formaliter: cuiusmodi omnia è mysterio Tri-
 nitatis suborta contradictoria sunt. Verè quidem, & be-
 nè respondent, sed solutione, quæ suam virtualem dis-
 tinctionem profus euerat. Ex ea enim constat entita-
 tem vniuersam, eandemque profus Patris non se habere
 in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria, ac si
 esset duplex. Si quidem necessitas duplicis realis subiecti
 solum est ad contradictoria realia formalia subeunda, non
 autem ad realia fundamentalia, seu realiter fundamen-
 taliter solummodò talia: at per hos Recentiores contra-
 dictoria è mysterio Trinitatis oriunda, solum sunt realiter
 fundamentaliter, non autem realiter formaliter talia:
 ergo in ordine ad illa subeunda non se gerit Patris en-
 titas, ac si esset duplex: sed potius iure ex summa, atque
 eminentissima eius identitate, vnitate, simplicitateque,
 dicitur, ita ea contradictorium fundamentalia realia adu-
 nare, atque secum identificare diceretur, vt inde con-
 tradictoria formalia, non quidem realiter, sed nostro
 intelligendi modo talia, cum fundamento in re, atque
 entitate sua reali, verisimilè subire queat. Atque hæc
 sanè solutio, & ad vtramque mysterij difficultatem emol-
 liendam valde est accommodata, & omnem occasionem
 virtualis distinctionis ad prædicata communia diuina: imò
 ad creata, cum mysterium Fidei irreuerentia, & Philo-
 sophia iactura, extendendæ præcidit, vt dicebamus
 de mysterio Trinitatis agentes, & controuers. 2. Dialect.
 d. 1. qu. 3.

6. Ad Nugatorium circulum (in quem virtualis distin-
 ctionis explicatores agebamus citato loco de Trinitate,
 dum aium ideo distingui virtualiter entitatem Patris, quia
 suffert prædicata contradictoria, & ideo ea suffere, quia
 distinguitur virtualiter Essentia à Pateritate) respondent
 circulum non committi, sed distinctionem ex sufferentia
 contradictorium à posteriori probat, & hanc ex
 distinctione virtuali à priori: quæ tamen à priori ex emi-
 nentia entitatis & identitatis diuinæ monstratur: Sed cer-
 tè cum non aliunde probatur distinctio, quàm ex suffer-
 rentia, nec sufferentia illa, nisi ex distinctione, circulus
 probationis non vitatur: sicut cum non aliunde probatur
 causa, nisi per effectum, qui solum ex causa, ac
 non aliunde, quàm ex effectu nota est. Illa verò proba-
 tio à priori distinctionis virtualis ex eminentissima Dei
 entitate, mirabilis mihi est. Cum inde eius summa realis
 simplicitas, Vnitas, atque Identitas demonstratur, quæ
 cuiusvis realis distinctionis, vel voces exhorret: & quæ,
 vt sæpè diximus, quatenus diuinam entitatem vniuersam,
 summamque eandem constituit, adunari in ipsa contra-
 dictoria realia fundamentalia facit, vt sæpè, ac nuper
 dicebamus.

7. Denique arguo: eo modo, quod est non discreto-
 rum distinctio, compositioque esse debet, vt patet: ergo
 cum paternitas & Essentia discreta absolute non sint, si
 realiter

ORTEGA
 IN LA PAZI
 D VIA

realiter virtualiter distinguantur, realiter virtualiter Patrem component: quod summa Dei Simplicitati reali aduerfatur. Distingunt antecedens. Cum distinctio non difcretorum est in ordine ad se, & ad essendum, concedunt eo modo debere esse eorum compositionem; secus cum non est in ordine ad se & ad essendum, sed ad aliud minus, ut in nostro casu, ad subeunda prædicata contradictoria. Sed contra Primò. Eminentiæ diuini esse, & identitatis summa entitatis Patris, in qua distinctio virtualis realis ab his ponitur, est in ordine ad esse, ut patet. Secundò: vel subiectum realiter virtualiter duplex est in entitate Patris, vel secus? si primum: ergo in se est virtualiter realiter duplex, & nihil repugnantie contradictorium imminuet, cum omnimodo realiter subiectum in se idem, vnumque sit. Tertiò distinctio virtuali admiffa, euidens est Essentiam distingui virtualiter à Paternitate, ac non ita à seipsa distingui: ergo in ordine ad se, & id quod sunt realiter virtualiter Essentia, & Paternitas distinguuntur. Vnde cum iuxta hos Recentiores, distinctio virtualis in ordine ad vnum contradictorium, nec fit in ordine ad alia, neque ad ea debet extendi, ut mox dicemus: atque hæc contradictoria proximè dicta diuersa ab eis omnibus sint, in ordine ad que inducta, & admiffa distinctio virtualis à suis Patris fuit, distinctio alia virtuali opus erit, atque ad orta ex hac contradictoria familia, erit opus alia; & sic in infinitum & virtuales distinctiones arguentur, atque dum aliqua contradictoria è mysteriis Fidei suborta, ea distinctione ciurantur, infinita alia succrescent. Nec valet quod aiunt, distinctionem virtualem valere etiam pro contradictoriis, quæ ex ipsa nascuntur: quandoquidem in ordine ad illa inducta non est, si vera est eorum doctrina, quam nuper nunc recitabamus, & laudabamus.

8 Scio nostrum Quiros de Deo tract. 2. longissimam de distinctione virtuali disputationem doctam instituisse: in eaque, satis acutè, distinctionem virtualem impugnasse, quæ verò contra illam, veramque eius intelligentiam maius aliquid habent momenti, ad aliqua ex his, quæ nos hic, & citatis locis dedimus reuocanda sunt: reliqua prauam distinctionis virtualis intelligentiam oppugnant. Quod verò à sect. 14. contendit cum Okamo in 1. & 24. qu. 1. litt. D. Gabr. ibi art. 1. Falolo 1. part. tit. 3. qu. 28. art. 2. an. 52. ad saluanda contradictoria è mysterio Trinitatis, & Incarnationis, vnde distinctionem realem, & mediatam in Tertio, vnde sufficientem, ac necessariam esse, nobis non placet. Licet autem eius impugnatio huius loci non sit, breuiter impugnanda capita aliqua perstringam. Primo enim supponit tota hæc doctrina de eadem omnino in se entitate Patris, v.g. verificari contradictoria realia formalia nec solum fundamentaliter realia; quod tamen fallum esse diximus. Secundò, hoc supposito admisso, distinctio mediata, & in tertio ad saluanda eiusmodi contradictoria non sufficit. Etenim de eadem entitate Patris, v.g. in se immediatè verificatur producit, ac non producit: si autem subiectum contradictorium debet esse diuersum atque contradictio immediata sit, ac supra ipsum cadat, in ipso immediata, & in se distinctio, ac non mediata, & in tertio esse debet: atqui *Essentia est Filiatio. Pater generat, Essentia non generat*: æquè de eadem ipsa entitate Patris verificatur immediatè, ac in se, ut tu concedis, atque distinctio in tertio non tollit, quominus immediatè, & in se illa contradictoria subeat entitas Patris: ergo distinctio in tertio non minuit implicatiam realem formalium contradictorium: quod autem in illa negatua: Paternitas non est Filiatio, extremum negatum diuersum sit à Paternitate, non ab Essentia, nil præstat, cum de eadem reali entitate Patris in se verificatur vtrumque.

9. Melius ergo his responderetur ex summa vnitare, & identitate, & eminentia esse, & Essentiæ diuinæ, quæ ea omnia fundamentaliter realia contradictoria adunat. Solum hæc aduerto, præterque ex contradictoriis allatis à nostro Quiros, ut Paternitas generat, Essentia non generat: Volitio est principium Spiritus Sancti, secus Intellectio, veras contradictorias simul veras non esse. Nam Paternitas sola præcisè sumpta non generat, magis quam Essentia, cum neutra præcisè sumpta principium, seu potentia generandi absolute sit, cuius solum est generare: licet autem coniuncta cum Essentia principium, &

potentia adæquatè, & absolute talis sit, cuique generandi denominatio conueniat: sic autem sumpta Essentia, ut coniuncta identice cum personalitate Patris, æquè etiam competit generare, atque ut coniuncta personalitati Filij generari: quia, ut sic, adæquatam principium actiuum, vel passiuum generationis est, cuique ex denominationes conueniant, & appetunt, ut ostendimus controuerf. de Trinit. d. 14. qu. 3. quare in his nequit esse vera, imò neque apparens contradictio. Nam æquè falsificatur esse generantem, vel principium generandi de personali præcisè, atque de Essentia præcisè: æquè autem verificatur de vtraque accepta coniunctim. In eo verò, quod Filius per Intellectum, ac non per Voluntatem dicatur procedere, Spiritus autem contra, non per Intellectum, sed per Voluntatem, solum denotatur ratio formalis, & titulus, ob quem communia ad eas processiones, & principia notionalia coniungenda aduocantur; non autem exclusio realis Voluntatis, aut Volitionis à principio, seu processione Filij, aut Intellectus, & Intellectionis diuinæ à principio, & processione Spiritus Sancti. Nam reuera communia omnia ad vtriusque processionem identice concurrunt, licet titulus, ob quem omnia identice concurrant ad processionem Filij, est intellectiui, & intellectionis prædicatum, atque prædicatum volitui, & volitionis sit ratio, & titulus, ob quem communia reliqua realiter identice ad principium, & processionem Spiritus Sancti confluunt: quibus deficientibus, per locum intrinsecum deficerent eiusmodi principia, & processiones: reliquis autem communibus deficientibus materialiter, & identice solum deficerent. Quare negatiue propositiones, non procedit Spiritus per Intellectum, seu Intellectus, & Intellectio non sunt principium, aut Processio Spiritus Sancti, & similes alie in sensu reali prorsus falsæ sunt, secus in sensu formali, atque à nostris præcisionibus dependente: quo plura, ac pleræque nostri Quiros contra distinctionem virtualem argumenta, his contradictoriis realibus innixa euancescunt.

CERTAMEN III.

Specialius virtualis distinctio inter communia abicitur.


1 Probatum primò à priori ex virtualis distinctionis realis definitione, quæ eius essentiam contineri ipsi aduerfarij fatentur. Id enim distinctum virtualiter est: *Quod, cum idem reipsa omnino sit, in ordine tamen ad subeunda verè, & realiter, nec solum per rationem, prædicata aliqua, saltem contradictoria, perinde se habet, ac si realiter distinctum esset.* Vnde distinctio virtualis breuiter definitur potest, *Capacitas prædicatorum, quæ idem omnino reipsa sunt, ad suscipienda realiter contradictoria.* Tum sic in prædicatis necessariis, & communibus Dei, (eiusmodi Essentia, & Attributa sunt) quæ idem prorsus reipsa sunt, nulla est capacitas ad suscipienda verè, & realiter vlla contradictoria: ergo Attributa, & Essentia diuina non distinguuntur realiter virtualiter. Maior est realis virtualis distinctionis definitio ab ipsis aduerfariis adhibita. Consequentiæ est legitima: cum à negatione definitionis ad negationem definiti procedat. Minor est aperta, sin ostendit aliquod prædicatum, quod verè, & realiter, atque ab intellectu independentè de Essentia, ac non de Scientia, Bonitate &c. Vel contra de harum aliqua, ac non de Essentia verè prædicetur, aut negetur.

2 Secundò Probatum: quia conceptus ad eò perceptus, conceptusque difficilis, ut nisi Fidei mysteriis, eorumque reuelatis veritatibus nunquam possibilis adhuc cogitaretur, in eis, in quibus Fides, eiusque veritates cum admitti non cogunt, nequaquam est in diuinis adhuc admittendus: atqui eiusmodi est conceptus distinctionis realis virtualis, ut, ne ab aduerfariis quidem, possibilibus cogitaretur, ni veritates mysterij Trinitatis, Incarnationis, & liberorum Dei decretorum illos ad eam cogitandam, & aditrandam compellerent: ergo vbi nos Fidei,

Fidel, & mysteriorum eius veritates non cogunt, conceptus realis virtualis distinctionis admittendus non est. Acqui in Essentia, & Attributis, siue in prædicatis Dei communibus, & necessariis nullus mysterij, aut veritatis Catholice, Fides cogit nos, vt conceptum distinctionis realis virtualis admittamus: ergo in Attributis, & Essentia, siue in prædicatis Dei communibus, & necessariis, conceptus realis virtualis distinctionis vnus ab alio admittendus non est.

3 Ex hac ratione bene inferunt Murciani Recentiores: quoties formalitates diuine, etiam virtualiter distincte in sua sententia, ex munere aliquo proprio distinctorum, quod in eis recognoscere ex Fide cogitur, ex munere alio proprio distinctorum, quod à solo discursu probabili, imò à probabilissimo, Dei prædicatis adscribi etiam possunt, distincta etiam in ordine ad illud minus realiter virtualiter nequaquam esse admittendum, v.g. Paternitas, & Essentia realiter virtualiter in ea sententia distinguuntur: quia subeunt prædicata contradictoria, *Communicatur, non communicatur. Produciuntur, non produciuntur*, ex Fide, licet eadem realiter entitas sint. Si autem repugnet vniam sine altera videri, nisi virtualiter distinguantur, atque discursu probabilissimo constaret, vniam hæc altera videri posse, dimiduo id ex Fide non constet. Hoc potius negandum erit, quam virtualis distinctio in ordine ad id numeris, etiam inter Paternitatem, & Essentiam admittenda. Ea enim distinctio (si quando admittenda sit) in diuinis tantummodo, atque in Fidel vnus reuerentiam, est admittenda.

4 Planè conclusioni obijci possunt aliqua, tamen adeo leuia sunt, vt vix solutione sit opus. Illud solum de præcedentia virtuali reali potentia volutiua, atque intellectiois respectu volitionis necessaria, aliquam difficultatis speciem videtur habere. Verum vt sensus suo loco dicemus, satis est præcedentia metaphysica, & pure rationis in diuinis. Nam in creatis ideo præcedunt physice, quia limitata perfectionis physice creata sunt: ac proinde operatione perficiuntur, quod secus vnicuique in ente perfectissimo, in quo hæc omnia sine operatione physica vniuersimè habentur: quemadmodum & creata cuncta, ab imperfectioribus deoacta, quæ in omnibus creaturis distincta, ac dispersa realiter sunt, in Deo adiuntur.



QVÆSTIO VI.

De Simplicitate Metaphysica diuinorum Attributorum.

ON agimus de simplicitate, quæ Dei speciale attributum est, siue transcendens, siue non transcendens, de quo postmodum in sequentibus. Quippe in hac disputatione, quæ tota de Attributis vniciuique sumptis est, importune de aliquo speciali Dei Attributo ageremus. Simplicitas Dei speciale Attributum physica est, quæque physice compositioni tantummodo aduersatur, non metaphysice. Inquirimus ergo de simplicitate metaphysica: non Dei quidem, quod in eo, vt ex dictis constat non est (cum physicam Dei entitatem, Essentia, totque communibus, & personalibus prædicatis metaphysicè constari ostenderimus) sed Attributorum eius: an vnusquodque metaphysicè incompositum, simplex, atque indiuisibile esse debeat? An contra componi ex variis formalitatibus metaphysicè possit? Nam de essentia metaphysica, indiuisibile formaliter, atque incompositam prorsus metaphysicè esse ostendimus supra: vbi & rationem pro Attributis formandam attingimus, quam questionem, licet à nemine, ita vniuersimè disputatam viderim, neque in Attributo aliquo speciali ex instituto, sed circim labens aggredior, ne singularim in Attributis singularis repetatur, vel omittatur, vel (quod ferè idem est) per transnam examinetur: neque ad plura aia in Theologia deducenda, quam valis doctrina ignoretur.

CERTAMEN I.

Prima, certaque apud Theologos conclusio, ac difficultas questionis explicata, & communis circa eam sententia.

1. **D**Vplex, quoad præsens attinet, metaphysica compositio, sicuti & physica duplex esse potest. Altera homogenea. Altera heterogenea. Sicuti enim è rebus eiusdem generis, & rationis sæpe physica entitas physice compingitur, v.g. materia pluribus materiæ partibus, & aqua (sicque de insensitiuis, atque inanimatis pluribus) pluribus aquæ partibus rationis omnino eiusdem: ita etiam metaphysicum prædicatum, quod insectile non sit, pluribus formalitatibus partialibus rationis eiusdem, potest metaphysicè coagmentari. Item sicut physice etiam potest aliquid ex partibus, quæ diuersæ rationis ab ipso, imò, quarum qualibet diuersæ rationis ab alia sit, constari, vt in omni essentiali physica, atque integrali compositorum compositione cernitur) ita etiam in metaphysica formaliter, diuisibilis prædicati compositione potest euenire, vt partes formales, quibus componitur metaphysicè alterius formalitatis ab illo, & à se inuicem metaphysicè sint, vt patet in anima, & homine, & prædicatis genericis, & differentialibus, quibus metaphysicè constant. De utroque ergo compositionis metaphysicæ genere, homogeneæ, & heterogeneæ inquiri quaestio: an Dei Essentia, & Attributis, atque vno verbo prædicatis diuinis possit conuenire?

2 Et prima quidem in hac quaestione certa, atque à Theologis indubitata conclusio sit. Prædicata, seu Attributa diuina attributorum diuinorum nomine, & ratione, compositionem metaphysicam heterogeneam habere posse. Ratio est: quia perfectioni diuinorum Attributorum non derogat eiusmodi compositio: ergo est cum diuinis Attributis, eorundemque ratione compossibilis. Antecedens patet: quia potentia diuina notionali, seu productiua ad intra, eiusmodi heterogenea compositio non obest, imò certo ex Theologis omnibus (si vnum, ac nescio an alterum? excipias) adest metaphysica & heterogenea compositio, ex Essentia & personali Personæ producentis, & passiuæ potentia procedendi in Trinitate ex communi etiam, & personali procedentis metaphysicè & heterogeneæ constat: ac demum Persona quauis ex Essentia, & personali cuiusque proprietate (siue ea absoluta etiam, siue relatiua sit) omnium Catholica sententia, metaphysicè componitur: ergo rationi prædicati diuini eiusque, quæ tali, perfectioni, ac proinde neque rationi, & perfectioni Attributi diuini obest metaphysica & heterogenea compositio: ac proinde, si quæ Attributa eiusmodi heterogeneam compositionem, nec subeunt, nec subire possunt, ex peculiaribus eorum naturis ea impossibilitas eis adueniet.

3 Tota quaestio huius, eaque subtilis, difficultas circa homogeneam Attributorum diuinorum compositionem metaphysicam est. An scilicet Attributa diuina, v.g. Sapientia, Omnipotentia, & sic de aliis partialibus Sapientia, aut Potentia partibus infinitis eiusdem rationis & inter se, & cum tota Dei Sapientia, vel Potentia metaphysicè constet? Licet quæuis pars minor infinitis Sapientia tota, atque Omnipotentia Dei, quam metaphysicè componit, esse necessario debeat: quemadmodum corporis quanti partes toto corpore, quod componunt, minores singulae sunt, licet sint eiusdem rationis cum illo. An contra, ita Attributum quodvis diuinum ex sua ratione formali diuini Attributi, vno ictu formalitatis indiuisibiliter totum dicat generis sui, vt partialibus generis eiusdem formalitatibus non constet, imò neque constare queat: ac proinde neque metaphysicè homogeneè componi. Porro in hac difficultate sic vniuersimè, atque his terminis proposita sententiarum Authores referre non possum, quia, vt quaestiois præfatione dicebam, à nemine disputatam vidi. Possunt autem referri plures, qui in vno, vel alio Attributo eam obiter versantes

ORTEGA
In A. pari
D. VIa

tes, suam circa præsentem vniuersalem difficultatem videntur mentem aperuisse, vel saltem indicasse.

4 Igitur de Idea diuina (quæ Scientia rerum faciendarum est, vel Verbum illà à Patre productum, (vel, quidquid nunc velis) agentes Theologi, communiter docent, per rationem, & metaphysicè plures esse, ex quibus tanquam partialibus conceptibus Idea totalis omnium factibilium metaphysicè componatur: ac proinde idem de Scientia, Omnipotentia, Amore etiam necessario, Immenfitate, Aternitate, atque fere reliquis Attributis videntur dicturi: quare vniuersim diuinis Attributis formaliter sumptis, metaphysicam homogeneam compositionem minime repugnare, etiam reuera de Ideis aliam esse rationem ostendimus controu. 2. d. vii. Citatur pro Idearum pluralitate, ac diuisibilitate metaphysica Scotus in 1. d. 36. qu. 1. sed extra rem: nam Idearum nomine non diuinum aliquid, sed creaturas ipsas in Deo existentes esse putat: quo pacto non solum formaliter, sed realiter inter sese, & à toto Idearum conuincto distinguuntur, neque Attributum diuinum sunt. Citantur etiam S. Thom. 1. par. quæst. 15. art. 2. quem ibi interpretes sectantur Aletis qu. 27. m. 4. S. Bonauent. in 1. d. 35. art. 1. qu. 3. Ricard. d. 36. art. 2. qu. 3. Agid. art. 2. qu. 2. ad 1. Argentina q. 1. art. 1. in it. Capreol. ibi conclus. 3. Durand. d. 36. q. 4. num. 5. quamuis enim dicat melius dici in Deo vnam tantum esse Ideam, tamen plures rationes ideales admittit: quare in primo vnitatem, & indiuisibilitatem realem, Idearum diuinarum, quas in secundo diuisibiles metaphysicè & per rationem admittit, attendisse videtur. Est sententia nostri Vasquez 1. p. d. 73. cap. 1. n. 3. vtr. hoc saltem. Soarij lib. 3. de Attribut. cap. 5. num. 14. & 15. vbi eam communem vocant, videnturque sententia Aug. lib. 6. qq. 83. qu. 46. & epist. 115. sine. & Dionys. cap. 1. & 5. de diuin. nom. vbi Ideas, & rationes ideales diuinas plures absolute vocant, atque vniuersim Theologi omnes non de Idea, sed de Ideis diuinis, disputant.

5 Contra vero Albertus Magn. in 1. d. 37. art. 9. commodius, meliusque dici in Deo, vnam esse omnium rerum Ideam, quam plures docuit. Cui & Aureolus consentit apud Capreol. citato articulo. & Marsil. in 1. d. 35. q. 1. prologi art. 1. par. 1. dicens Ideas in se, & ex parte obiecti sui distingui solummodo: ni forte è sua Nominalium Schola, nullam aliam distinctionem, quare neque compositionem metaphysicam formalitatum, seu pradicorum rei eiusdem admittat, sed solum in terminis, seu connotatis in ordine ad quæ tota simul, & indiuisim concipiuntur. Sed licet ita de diuisibilitate, & compositione metaphysica diuinarum Idearum videantur Patres, & Doctores citati, ac proinde generatim in diuino hoc prædicato, (quare, & in aliis Attributis metaphysicam compositionem admittit. Non tamen ita plane eam in intrinseca formalitate diuina Idearum eam admittunt,) vt opus erat ad hoc, vt pro affirmante sententia in re præfenti recitarentur. Nam Vasquez citato loco docet, nomen Idea relatiuè ad creaturas, relatione rationis necessario constare, cum, quoad intrinsecum Deo, præque diuinum, absolutum quid omnino à creaturis sit, ac proinde plures dici, atque diuidi in plures, quia de eis, vt eas concipimus, loquimur. Concipimus autem eas vt plures rationis relationes ad creaturas. Soarez vero citatus fatetur, Ideas concipi à nobis, cum respectu rationis ad creaturas: ac necessario eas ita à nobis concipi tenetur fateri cum num. 17. dicit Ideam eo nomine significari, vt terminum adæquatam creaturæ mensurata, mensurabilis ad ipsam: quod rationis relationem inuolueret necessario ait: proindeque pro varietate commensurationum earum, quæ in diuersis creaturis sunt, varias pluresque diuinas Ideas absolute dici posse: in quo cum Vasquesio, cuius tandem conuenit, atque quæ pro se respondit nullo 17. Suarum contra illum impugnationum solutiones fecit. Itaque (vt plura hic de diuinis Ideis in tempestiue non miscuimus) satis ex his constat, Doctores, & Patres hosce de diuisibilitate, adhuc metaphysicæ, diuinarum Idearum, quoad intrinsecum Deo, & quod diuinum est, certo non loqui. Id quod August. loco citatæ Epistolæ satis insinuat, dicens, *Varias hominum rationes (non autem dixit Dei) in illa sinceritate, id est vnitatem, Viuere.*

CERTAMEN II.

Pro negante nostra sententia, homogeneam compositionem metaphysicam probanda, notationes.

1 Secundam hanc præfixam Conclusionem de Ideis diuinis loquentes videntur etiam generaliter indicasse Magnus Albertus, & Aureolus locis citatis, ac fortè Marsilius. Vt autem illam solide, ac metaphysicè probemus, duo stantissima certissima sunt. Alterum ex dictis in Physicis controuersis de infinito. Alterum ex Metaphysica, & Theologia certissimum. Primum est discrimen inter infinitum simpliciter ex genere, seu specie, & essentia sua tale, & infinitum secundum quid non ex genere, seu specie, & Essentia sua tale est in eis habeat infinitatem. Etenim quod simpliciter & absolute, siue ex genere, & essentia sua infinitum est, nequit sine infinitate sui generis concipi, ne dum esse; quod autem non simpliciter, & absolute, sed secundum quid, ac non ex genere, & Essentia sua, & per additionem partium, intra illam infinitum est, bene esse, concipique potest sine infinitate illa secundum quid, intra illam speciem.

2 Inde aliud aperitissimum, atque ad rem nostram valde notandum discrimen inter vtrunque infinitum deprehenditur. Cum enim, quod simpliciter, & absolute, seu ex genere, & essentia sua infinitum est, finitum aliquid intra illam non habeat, nec habet vnde ei addi aliquid possit speciei, seu generis illius: quia infinito, qua parte infinitum est, impossibile est aliquid in eo genere, quo infinitum est adiangi: vti ex terminis patet, atque in linea, quæ versus vnam partem infinita est, nihil ab ea parte addi ulterius potest: quia neque ab illa terminum habet: sicut neque æternitati à parte post animæ rationalis, & Angeli addi duratio à parte post vllatenus potest. Ei autem quod ex specie, & essentia sua infinitum non est, quare neque absolute, & simpliciter infinitum sed secundum quid constituto intra suam speciem, addi intra illam alia, & alia possunt partes in infinitum, quousque infinitarum additione, infinitum secundum quid euadat: vt quantitati, siue continuæ, siue discretæ, & intentioni qualitarum euenire posse putatur.

3 Ex inde vero vltierus inter vtrunque infinitum discrimen aliud elucet: quod infinitum, non simpliciter, & ex genere, seu specie, & essentia sua, sed secundum quid, & per additionem aliarum, & aliarum partium, speciei eiusdem infinitum tale est per denegationem termini solummodo intrinseci: quia scilicet, quod ita infinitum est, tot intra se partes cohibet, vt nec numerum subite possint, nec vicima illius pars sit assignabilis, vltra quam alia, & alia assignabiles intra illud non sint: quare optime ab Aristotele, & Philosophis eiusmodi infinitum definitur: *Cuius partes accipiuntur semper restant alia, & alia ipsius accipiendæ ac proinde necessario intra ipsum terminus ea parte, qua infinitum est, esse non potest.* Vnde si vtrunque linea, vel duratio creata ponatur infinita, versus neutram partem terminum habebit intrinsecum: atque adeo per denegationem termini intrinseci, infinitum eiusmodi infinitum necessario erit. Non autem per denegationem termini extrinseci sed enim denegatio etiam hæc termini, etiam extrinseci, quæ infinito secundum quid, & non è genere, & essentia sua tali, conuenire negatur, non ita intelligi debet, quasi dicamus extrinsecæ aliqua mensura, ea parte, qua infinitum est posse illud terminari, aut coerceri: id enim in terminis implicat; sed quia extra ipsum partes eiusdem rationis, & generis alia, & alia, imò infinite alia, esse possunt. Ex eo enim quod linea, vel altera, vel vtraque parte sui infinita daretur, non inde alia, & alia lineæ partes, imò neque infinite alia lineæ partes, ac proinde neque infinite alia lineæ extra ipsam repugnarent: quim eo ipso, quod linea vna infinita possibilibus, vel admittatur, vel probetur, possibiles admittentur plures, & probabuntur. At vero infinitum absolute, & simpliciter, siue ex genere suo tale infinitum

infinium sanè est per denegationem termini intrinseci, non autem solum, sed per denegationem termini etiam extrinseci, ita mirum, ut nihil generis illius, siue ordine physico, si sit in eo infinitum sit, siue in ordine metaphysico, si sit è genere suo in ordine infinitum, esse possit; alioqui genus, & essentia, ipsius saluari absque infinitate posset: neque è genere, & essentia sua, & simpliciter infinitum, sed solum infinitum in genere, & secundum quid, contra suppositionem, foret.

5. Denique ex Theologia, & Metaphysica noto infinitatem simpliciter, & absolute, atque ex genere, & essentia sua talem soli Deo, omnibusque diuinis competere, ac proinde infinitatem per denegationem termini etiam extrinseci in illo genere, & ordine. Patet id quidem in essentia, & Essentia physica Dei, (quæ sola infinita physice simpliciter, & absolute est, per denegationem termini etiam extrinseci) cui si aliquid physicum, quod imperfectionem non inuolueret, atque extra ipsum esset (non solum in creaturis, quæ de facto sunt, sed in creaturis cunctis possibilibus) deficeret, infinitum simpliciter, & absolute non esset: quia terminum extrinsecum physice haberet: licet alia prædicata omnia, quibus physica Dei essentia illa constare intelligitur, infinita per denegationem termini intrinseci forent, quæ autem physice essentia Dei in ordine physico infinitas conuenit ea ipsa, neque in suo genere abfinitis infinitas prædicatis cunctis metaphysicis diuinis, ut digna Deo sint, & concipiatur debet competere: ut scilicet infinita in suo quæque genere simpliciter, & absolute, atque ex essentia, & conceptu suo sint: ac proinde per denegationem termini non solum intrinseci, sed etiam extrinseci: ita ut repugnet aliquid eius essentia, & generis, in quo unumquodque est, extra ipsum esse, aut verè concipi, quod diuinum prædicatum est, aut concipitur in illo genere.

CERTAMEN III.

Negativa nostra conclusio probatur, atque ab obiectionibus aseritur.

1. His, non prona solum, sed præcepta etiam est nostra negatiua conclusionis probatio. Etenim diuinum quodvis prædicatum, seu Attributum iure, & formalitate diuini infinitum simpliciter, & absolute in genere suo, atque è suo genere, & essentia est: sed quiddam in suo genere, atque ex genere, & essentia sua infinitum, simpliciter, & absolute est, tale est non solum per denegationem termini intrinseci, sed etiam extrinseci in illo genere, in quo est ergo quodvis prædicatum, seu Attributum diuinum est infinitum per denegationem termini, etiam extrinseci in genere illo, in quo est. Tum sic, id quod infinitum est in aliquo genere per denegationem termini etiam extrinseci, in illo necessario debet continere omnem formalitatem generis illius: ita, ut implicet aliquid illius generis extra ipsum esse: ergo diuinum, quodvis, quod è genere, conceptu, & essentia sua infinitum simpliciter, & absolute est, ut diximus infinitum per denegationem termini, extrinseci etiam, ita omnem formalitatem illius generis in conceptu, & essentia sua claudit è conceptu, & essentia sua, ut nihil eius generis extra essentialem suum conceptum, esse verè, ac non fictè concipi queat: ergo implicet concipi verè, quin concipiatur simul omnem sui generis, & ordinis formalitatem possibilem continens: ac proinde nequibit verè concipi potentia productiua Leonis diuina, quin concipiatur Omnipotentia, quia quiddam potentia diuinæ est in conceptu potentia diuinæ (quæ non nisi infinita simpliciter & absolute potentia diuina est) necessariò inclusa est, & sic de aliis Attributis.

2. Confirmatur, & explicatur hæc ratio: cum concipis potentiam productiua Leonis, scorsim à potentia productiua equi, & potentia productiua hominis, & sic à potentiis productiuis reliquorum omnium possibilium, concipisne potentiam infinitam formaliter: an non?

Christoph. de Ortega, de Deo Pno, Tomus I.

si concipis infinitam formaliter: ergo concipis eam ut potentiam productiua omnium possibilem contra te, & nec præcindis ex parte obiecti partem potentia diuinæ ab aliis. Probatur consequentia: quia de ratione potentia productiua infinita, formaliter talis est esse potentiam productiua omnium possibilem, siue non repugnantium; alioqui, licet non omnium, sed aliquorum potentia productiua esset formaliter, infinita potentia esse posset: quod est vesanum asserere, atque in mille absurda prolapsus. Nam nulla est potentia creata, quam infinitam non possis asserere: si dicas te nondum concipere, neque illam potentiam productiua Leonis, quam scorsim ab aliis diuidis esse formaliter infinitam, quousque omnium partialium metaphysicè potentiarum respectu possibilem omnium coniunctione, Omnipotentia, ac proinde infinitas potentia conseretur: ergo potentia illa productiua Leonis scorsim concepta diuina potentia non est. Patet: quia implicat diuinum aliquid diuinum esse, aut concipi, ac non concipi, & esse infinitum: ac proinde spectari potentias alias productiua aliorum omnium possibilem, ut infinita potentia concipiatur: quod ipsum est Potentiam, seu Omnipotentiam diuinam, quæ diuinam (& idem est de Scientia, seu omni Scientia, atque Attributis aliis diuinis) è conceptu diuinæ ad omnia possiblem ea infectibili formalitate ferri comparari, atque extendi debere.

3. Quod si dicas, potentias illas paruales diuinæ formaliter non esse scorsim sumptas, quia neque, ut sic, infinitæ sunt, sed abstrahere ab infinitate, atque à ratione diuini, quousque ceteris adiuncta, & collectiue sumpta cum infinitate rationem etiam diuinæ potentia induant: malè, & indigne Deo respondebis: indignè quidem Deo: quia non alio modo infinitatem diuinorum prædicatorum concipis, quam infinitatem creatorum, v.g. infinitatem quantitatis, aut intensiōis qualitatum: quorum singula partes finitæ sunt, licet ut coniuncta cum aliis infinitum constituunt: unde licet infinitas sit earum intra genus suum, non autem infinitas ex genere, & essentia sua, quod valde diuersum genus infinitatis est, & quod solum soli Deo, ac diuinis decet competere. Vnde constat malè etiam te respondere: cum diuinis prædicatis infinitatem ex genere, & essentia sua ea solutione non concedas. Insuper, cum iter infinitum, ac non infinitum seu finitum in nullo genere, & ordine medium detur, quippe quæ contradictoria in omni genere, & ordine opponantur, partialis illa potentia productiua Leonis, quam scorsim conceptam in Deo ponis, non solum ab infinitate abstrahat, sed erit finita ut sic, ac non infinita, seu infinitate negata: cum quo pugnat diuinam esse: non solum, quia, quiddam diuinum est, infinitum eo ipso est: sed quia multo magis debet non esse finitum, seu infinitate negatum, ut patet.

4. Iam quæ opponi huic conclusioni possunt, facile ex nostra hac ratione diluentur. Dices enim primo posse nos in Deo concipere Potentiam productiua Leonis scorsim è potentia productiua equi, & aliorum, quæ quidem, licet non diuisa realiter ab hac, verè tamen in Deo est, ac non fictè: non secus atque licet principium sentiendi, quod animal metaphysicè, & principium ratiocinandi, quod rationale metaphysicè est, idem realiter in homine sint: at quia principium, seu potentiam radicalem sentiendi, in ordine ad sensationem cogitare possumus scorsim à principio ratiocinandi, seu in ordine ad sensationem metaphysicè ex parte obiecti (apud nos, & omnes obiectiue præcidentes) eas formalitates diuidimus, distinctasque fatemur: ergo & potentiam productiua Leonis à potentia equi, distinctas metaphysicè in Deo fieri debemus. Responderetur ex dictis, posse nos quidem concipere potentiam, seu Omnipotentiam Dei, in ordine ad omnem tantum, quousque ita à nobis concipi, sed tamen cum duplici chimaera, seu ente rationis: altero inexcusabili, se tamen omnino ex parte nostri modi cognoscendi, quo potentia omnem relatum ad suum terminum, seu cum relatione ad ipsum necessariò concipimus: quemadmodum & Angelum admodum iuuenis necessariò concipimus. Alteri ex parte obiecti: quatenus potentiam diuinam, quæ, quæ diuinam infinita ex genere, essentia sua, atque ad possiblem omnia producenda

H virtus,

ORTEGA
D. V. I. a

virtus, & potentia conceptione illius termini tantum, non infinitam, ac proinde, nec diuinam implicator e concipi- mus; quod fecus euenit, cum principium physicum creatum, atque e suo genere, & essentia non infinitum, sed finitum & limitatum teorim ab alio, cui realiter identifica- tur, cogitamus, vt patet.

5. Ita etiam ad limiles obiectiones pro diuisibilitate metaphysica diuinae Scientia, Idea Immenfitatis, Aterni- tatis, & similitum responderetur. Sed in Scientia, & Amore necessariis Dei obiecti specialiter potest. Etenim Scientia, & Amor, praesertim complacentia, necessario & essentialiter sua obiecta supponunt: neque enim percipi, concipere potest actualis tendentia Scientia alicuius circa obiectum aliquod, antequam sit, neque complacentia eius, quod non- dum est: imo hoc principio negato etiam in Scientia, & complacentia Dei erga possibilia, non apparet, cur Scientia, & complacentia eodem modo scientia, & complacentia chimerarum non sit, atque scientia, & complacentia est possibilia: cum possibilia possibilia, vt scientia, & complacentia Dei in illa feratur, non spectetur. Si autem possibilia verè iam possibilia, atque in suo possibilitatis statu spectanda sint, vt scientia, & complacentia Dei feratur actu in illa, eaque Deus exercitè intelligat, & amet necessario (vt plures Theologi censent) valde contra hanc nostram conclusionem obicitur. Etenim antecesser ad possibilitatem creaturarum, eaque non spectata sua omnia necessario amat exercitè, & intelligit: ergo Amor, & Scientia necessaria Dei erga seipsum, est pro priori illo ante possibilitatem creaturarum, pro quo necessarius earum Amor, & Scientia non sunt, neque exercitè amantur: ergo Amor, & Scientia necessaria, qua Deus se exercitè, & formaliter necessario amat, & intelligit, distinguitur formaliter metaphysice à Scientia, & complacentia necessaria, qua necessario, & exercitè amat & intelligit creaturas possibi- les. Parere videtur consequentia: quia, quod formaliter metaphysice idem est, nequit sine aperta contradictione pro vilo signo quo est, simul pro illo non esse: atqui Scientia, & Amor necessarius, quo se Deus exercitè necessario amat, & intelligit, est pro priori ad possibilia creata, seu possibilitatem creaturarum, & pro eo priori non sunt ne- cessaria Amor & Scientia, quibus Deus exercitè, & ne- cessario intelligit & amat creaturas possibiles: ergo Scientia necessaria, & Amor necessarius Dei erga seipsum, non sunt idem formaliter metaphysice, cum Scientia & Amo- re necessario Dei, de creaturis possibilibus.

6. Tangit obiectione arcanum, atque aditissimum Scientia, & Amoris infiniti Dei Mysterium: cuique in Scientia, & Amore liberis Dei (vbi longè maior est) debeat facis- fieri. Veram Dei ipsius lumine, & auxilio suo loco debi- tum soluamus, quod hactenus ad plenum nescio quis sol- uerit. Nunc autem respondeo in primis obiectantes ipsos ad difficultatis, & obiectionis huius solutionem, aequè ac nos teneri. Etenim, quod Scientia, & Amor Dei necessarius erga seipsum, pro illo priori, quo se necessario amat, & in- telligit, infinitus iam metaphysice sit, certum apud ipsos, imò & apud Theologos omnes est, esseque debet. Cum, siue è solo subiecto, & intelligente, & amante (qui Deus est) vel etiam ex primario obiecto (quod est ipse etiam Deus) de- beat necessario eiusmodi actus infinitatem sumere, deinde extensione, vt se loquat, eiusdem Scientia, & Amoris, siue liberi, siue necessarii ad creaturas vel possibiles, vel exi- stentes, nihil Amoris aut Scientia, diuini, deo que identifi- catis Amori & Scientia accretere, adhuc metaphysice: quia aliàs à rerum possibilitate, Scientia Dei augmentum penderet, atque infinita non esse, quae circa Deum praecel- sit, cum esset capax augmenti. Ex quibus etiam apud ipsos, quia apud omnes, certè in eadem emergit difficultas. Secundo pro omnibus respondeo, Scientiam infinitam Deis vt potè diuinam, absolutam omnino esse à possibilitate creaturarum, sicuti, & alia omnia praedicata diuina, vt d. de Omnipotentia ostendemus: vnde sit in omnimoda sua in- finitate à creaturarum possibilitate non pendere: quare neque hanc spectandam esse ad formalitatem vllam, adhuc partialem, formalis representationis alicuius creati obie- cti: quemadmodum neque ad formalitatem vllam poten- tia diuina, creaturae alicuius possibilitas adhuc spe- ctatur.

7. Ad eum igitur modum, quo Omnipotentia, poten- tia est omnium possibilia, pro priori ad eorum possibi-

litem, quia ab ea independens, neque inde inferitur, esse potentiam chimerarum, & impossibilium, quia pro poste- riori possibilia non sunt: ita etiam Scientia Dei pro priori, quo se Deus intelligit, independens à possibilibus ante, ac non spectata eorum possibilitate infinita, è suo princi- pio, subiecto, ac, si placet etiam obiecto, infinito Deo, in- finita representatio actualis & exercita est: ac proinde re- presentatio actualis omnis representabilis, & possibilis (idemque de Amore diuino dictum puta) ac proinde ac- cidentia pro posteriore possibilia, suam representationem actualem operentem inueniunt, non faciunt: quam eodem modo impossibilia nec faciunt, neque inueniunt. Quod si dicas exercitum actualem intelligendi, intelligi sine obiecto non posse, non miraborid enim ex nostro imperfecto mo- do cognoscendi provenit: vnde etiam fit, ne nos Omnipotentiam, quam absolutam profus à creaturis possibilibus iudicamus, nisi ad illas relatum valeamus concipere. Id quod maiorem vim habet in re praesenti, cum nulla creatam visionem (cuiusmodi Scientia Dei est) à suo obiecto inde- pendentem, experiamur: aut cum Dei Scientia, etiam exer- cita, & Amor complacentiae independens omnino à crea- turis, in omni carum statu sit, quae ex creatis cognitioni- bus, & amoribus didicimus, de illi esse necessarium est.

8. Disputandum hic ad plenum disputationis huius exa- men, vltimo loco videbitur. An diuina Attributa, saltem denominatiue, atque, vt formas denominantes media phy- sica sui visionem, suos formales effectus communicare crea- turis possint, vt Vbiquitè de Immenfitate effugerunt, atque de aliis diuinis Attributis, alij. Verum, cum id in Christi humanitate, quae sola vnica Deo physice est contra Vbiquitè, & alios controuersi, de Incarnatione occasione eius erroris late, atque vniuersim de Attributis omnibus dispu- tauerimus, otiosè hic eadem repererimus.

DISPUTATIO IV.

De Attributis Negatiuis nomine in particulari.

DIVISIMVS d. 3. q. 2. Attributa Negatiua, in Nega- tiua nomine, quae nimirum, in nomine ipso suo negationem habent: quia praepositionem *in*, quae negationem aquales, praepositionem habent, & in Negatiua definitione, quae nimirum sine negatione explicari, definitur à nobis pro hoc statu nequeunt. De primis igitur in particulari hac d. agemus, acturi de secundis in particulari etiam d. 5. sunt autem primi generis Negatiua Attributa, Infinitas, Immenfitas, Immutabilitas, Inuisibilitas, incompre- hensibilitas de quibus, suo ordine agemus. Et quidem licet Immortalitas Attributum etiam negatiuum nomine sit, cum autem, vel idem, quod Aternitas, quae Attributum negatiuum definitione est, significet, vel valde affine, nihil hic de illa sed d. 5. simul cum Aternitate agemus. Sunt au- tem in aliquibus horum Attributorum sub vno nomine plura Attributa contenta, vt sub nomine Inuisibilis, Attributum Inuisibilitatis corporeis oculis, item Inuisibilitatis oculis mentis, seu spiritualibus, viribus tamen totius natura, collectiue etiam sumptae, de quibus singulariter dispu- tandum erit, & sic de aliis, in quibus lateant difficultates diuerse.

QUESTIO I.

De Infinitate Dei attributali.

LVRA hic examinanda sunt. Primò: an Deus in- finitus sit per Essentiam? secundò quid sit ita in- finitum esse? Tertio: an in omni praedicato, seu Attributo diuino sit infinitas e formalis conceptu? Quarto: an Infinitas attributalis, seu Attributum Infinitatis sit omnia Attributa, & praedicata diuina transcendens? sed primò sciendum est nos hic non agere de infinito, siue